CAROLVS REDVX.

OXONIÆ,

Excudebant IOHANNES LICHFIELD, & IACOBVS SHORT, Academiæ Typographi. 1623.

CAROLVS
REDVX.

AD SERENISSIMVM REGEM IACOBVM.

Quem modò ad Hiſpanos Pietas *Votiva *ſecuta eſt*,
Nunc Reducem Oxonij carmine Muſa canit:
Nec mirum, quòd ſera videx munuſcula charta,
Enixa eſt partus Noſtra Thalia duos.
Et curam ponduſq; morę ſolennia poſcunt;
Talia *non agimus præcipitante gradu.*
Da veniam Tardis, non diſpliciſſe meretur,
Qui temerè. (Cæſar) *vel placuiſſe timet.*

*Liber Gratul. Oxon. de ingreſſu Principis in Hiſpaniam Regi antehac dedicatus.

GV. PEIRS Acade. Oxon.
Vicecancellarius.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM CAROLVM.

IN Reducem Te *turba ruit, populusq́ Britannus,*
Absentem, *Oxonij Sola Camœna colit:*
Gratiùs accipias hæc nostræ vota Thaliæ,
Quæ simul Absentem Te, Reducemq́; *canit.*

GV. PEIRS Acade. Oxon.
Vicecancellarius.

ΠΑΝΑΚΑΔΗΜΙΚΟΣ.

SIVE,

GRATVLATIO PRO CAROLO REDVCE, OXONIENSIVM NOMINE

recitata, à IOHANNE KING *publico Academ. Oratore.*

QVOD posterrumè apud vos (Senatum Populumq; Academicum) non ita pridem comprecabar; hoc ex animi nostri omnium sententiâ, (votis singulorum in hoc conspirantib', cœlesti quoq; sic aspirante Numine,) ita eveniſſe, idem denuò adfuturus sum hodiè, lætus lubensq; Nuntius, promptus gratulator; ò si liceret dicere, saltus peritus paratúsve Orator. Cessant jam auræ, cessant rumusculi: rectiùs verò, defuncto ritè nuntiandi munere, quem afferunt, præstant, exhibentq;. Ipsissimus tandem, Redux, salvus, sospes CAROLVS, Ithacam suam, Britanniam suam, Aulam suam, iterùm salutavit. Non Ipse fluctibus vltrà credendus est, sed credendum de Ipso testibus; alijs quidem oculatis, nobismetipsis etiam auritis: (nisi adhuc suspecta sit fama, etiam cùm vera, atq; præterita narrat; quæ hoc idem attestatur, —— *Et vox hoc nuntiat omnis*. Licet enim nobis, superato brevi itinere, adire Ipsum, provolvi ad genua, manibus occurrere osculo, tantùm non aspicere im-

præsentiarum, & coram palamq; alloqui. Atquî tamen sive oculos Ipsum subire, sive aures Ipsius famam beare contigerit, (quorum alterutram felicitatem nobis saltem indulsit Deus,) salus Principis exoptata, valetudo firma, securitas inconcussa, provocare debent secundas hasce Gratulationes, sapientiores fortassè (vt solent esse δεύτεραι φρονήσεις,) quia aliquantò maturiùs elucubratas: neq; tamen eò sinceri minùs erumpunt affectus, quòd jam tantum cogitandi, quasi vnà et fingendi, tempus habuerint. Equidem insolentiorem quandam, & proximâ vberiorem præsumo alacritatem, quanto majorem cerno fiduciam immisceri gaudio, cùm Author ejus & Causa, non diutiùs peregrino Hospitio, sed proprio, Patrióq; Palatio commoretur. Nec jam Profectio ejus, sed Statio, solicitat gestientes animos; adeóq; nos non eodem modo exercere debet cura Principis in Portu, atq; in Motu. Quin illud potiùs pro virili enitendum habemus, vt Otiorum, Feriarum solennitate distinguantur negotia; Et quid demùm inter προπεμπτικὸν atq; εὐχαριστικὸν intersit, hodierni pensi sit experiri atq; absoluere. Vt vt enim tantum in Eum cumulauerit officiosæ sedulitatis Hispania, vt citra collationē, plusquā summā contulerit; vtut cōquisitissimis honoribus excepisse, dimisisse, largiamur; non potest tamen aut nobis non optabilior adlucere ille dies, qui, si non adimit, minuit sanè anxiam pro tam charo capite solicitudinem; aut Ipsi non multò meliùs olere Patriæ suæ fumus, quàm nidor alienæ. Quid quæso aliud esse arbitremur Peregrinationē, quàm spontaneum, & (si sic loquar) *Heautontimorumenon* quoddā Exilium? Tametsi verò Stoici, suo quem effingunt sapienti, solum ibi fixerint, vbicunq; benè esse liceret: crediderim tamen herclè aliter extra Patriam, quám in Porticu Philosophaturos. Neq; illud Stoicorum *bene* nos Academicos alibi statuere decet desideratissimo Principi, magis commodè, quàm in hâc ipsâ, cui tandem redonatum habemus, Patriâ. Quarè post continuatam quasi hanc, ex More Academiæ, Congregationem, redintegrare jam denuò oportet celebritatem: quæ quidem disiunctis temporibus fortasse, nequaquam verò affectibus, poterit discriminari: aut si affectibus, non de genere illud, sed de

gradu

gradu tantùm lætitiæ erit intelligendum. Tertia jam hæc eſt, in CAROLI gratiam, citatio Britannicæ hilaritatis: quo in numero, extremorum vtrumque aſſignamus ſcientiæ, medium opinioni. Prima Gratulatio Principi deſtinata eſt Profecto, altera dein quaſi Reduci, noviſſima tandem hæc Recepto. Timidas illa quidem erexit mentes, quia adhuc longè aberat; nimis credulas iſta ſeduxit, quia nihilo proximiùs tunc appropinquabat; poſtrema hæc audaces & alacres ſola præſtat, quia jam præſtò eſt. Neq; ſanè diſſimulandum hîc cenſeo, quàm non ſimulatâ voluptate unuſquiſq; ut ſibi finxerat ingenioſiùs, perveniſſe Principem, priuſquam venerat, Adventum eius maturavit; quàm fermè omnibus pro vero verisimile iſtud impoſuit; quàm Eum non falſò deperivimus, etiã in mendacio. Nempè ipſum hoc figmentum, nobis grande fomentum attulit, & longè quàm gratiſſimum, Corculo, CAROLO noſtro frui vel ſic. Et certè in re vehementer adeò expetitâ, ut præſumptio, ita ipſa quoq; deceptio ſolet eſſe non injucunda. Mirum ut aliquam multi, piâ illâ fraude allecti, cùm affore nunciatum eſt, (incertis licèt Autoribus) equos, currus, ſe, inſtruxerint: quaſi hoc nimiùm tardi eſſet moliminis, præſtolari venturum, ni *Principi* feſtinarent occurſare venienti. Non tunc Reduci huic Mecœnati deerant Anglicani (ſed peſſimi) Marones, (niſi Mevios malumus appellare, aut Bavios) qui propheticis cãtiunculis, & rythmis anticipantibus, Reditum eius non tam celebrare dicantur, quàm vaticinari. Videbantur ſcilicet iſti *Ivmo parvi, Folium recitare Sibyllæ*; quamdiù dictorum veritas, non niſi longo poſtea intervallo, cœperat elucere. Digna quidem hæc Folia, non aliâ luce honeſtari, niſi illâ demùm quam donare ſolet Veneris Maritus. Sed numquid hîc conſtiterunt hęc gaudiorum ſimulacra? Tranſiit iſte error ab animatis, ad inanimata; ab hominibus, ad focos & ignes: quinetiam campanas habuit clamoſos ſuffragatores. Nihil tunc temporis deſiderari videbatur ad complementum ſummæ Feſtivitatis, præter ipſum Principem conſummatiſſimum, qui certam nobis faceret, lubricam hanc alioquin, fælicitatẽ; qui hiſce pro ſe ſuſceptis gratulationibus intereſſet. Sed proh dolor——*Brevis conſumpta eſt fabula vitæ*

resq; tota quasi per somnium gesta evanuit; disparuit noster CAROLVS, & pro Numine nubeculam dumtaxàt, non sine stomacho atq; pudore, nos tandem deprehendimus amplexâsse. Atqui tamẽ vereundũ non est, ne toties incassùm evocatæ, toties irritatæ, sed irritæ exultationes, cùm iam iusta eas exposcat exigatq; ratio, aut torpeant, aut desint. Quin potiùs proludia quædã ista, & progymnasmata in secuturi obsequii censenda erunt, quibus in tantũ profecerunt exercitati affectus, ut iam satis quasi edocti, ---- *Atq; in stationẽ parati*, insurgant vehementiùs, & acriores in præsenti impetus habeant. Mirâ olim libidine Æschinem audiverunt Rhodij, dùm vnam è Demosthenicis orationem (ut erat μεγαλοφυὴς) publicè pronunciaret: quibus ille tandem reponit plaudentibus, Quid si ipsum audissetis hæc verba intonantem qui pepererat? Sanè (quod veteri verbo circumfertur) *Hic Rhodus, hic* e iam *Saltus* sint, hîc tripudia. Quòd si tantum Iubili popularis depascere quasi atq; depopulari potuit imaginarius & putativus Adventus; si tantâ dulcedine, ementita Principis reversi vel mentio, cunctos affecit; quantâ iam delectatione singulos persundi, quos in cachinnos solvi continget universos? cùm iam non ampliùs illudit nobis vox, & præterea nihil, sed fidenter ac seriò,

Iam licet ingenti dicere voce, Venit.

Atque nunc demùm satis assequi videor, cui potissimùm rei prodroma illa gaudiola inservirent. Pecit hoc vel maximè ad pompam & solennitatem, tanto Advenæ debitissimam, cui jam à talibus Epidemeticis & Præcursoribus, Hospitium, non in tectis, sed reclusis sinuum intimisq; recessibus, erat parandum. Consultum itaq; hoc ipso est Principis fastigio, nec minus fiduciæ: nempe vt tentaret animos domesticorum, sparsis hinc inde de se rumoribus, quàm medullitùs voluntatibus omnium infixus amor Ejus insedisset. Consultum etiam nostræ imbecillitati, (vt sunt humanæ mentes subitis plerumq; imparatæ) ne si Corda non priùs dilatata, fallaci eâ quidem, sed tamen vtili lætitiâ, Totus Ipse, ex improviso, semel simulq; occupâsset, non tàm immigrare in sensus hæc adeò prospera, quàm irruere, adeóq; obruere, viderentur. Ad hanc normam cœlestia quoq; procedunt:

Phœ-

Phœbus Phosphorum sortitur anteambulonem; qui caligantes obtutus modico splendore primùm admoneat, ne succedanea & vehementior lux, non recrearet visum, sed planè præstringeret. Itaq; post præmissam istiusmodi Præfationem, quàm immensum Volumen turgescere jam æquum erit, ex permistâ omnium voluptate? cui, Appẽdicis in vicem, reservatam putemus nostram Oxoniensium Opellam. Quos ideò non est vt tarditatis criminetur præcocior Cantabrigia: (quòd si tamen hinc censenda esset istius Gymnasij antiquitas, causâ planè nos caderemus Bellositani) siquidem hæc nostra dilatio, prorogatio potiùs quædam est non morituræ festivitatis: quinimmò expirantibus jam ferè Eorum, cæterorúmq; affectibus, (si adhùc in tantum deferbuerunt, vt revocari non possint,) saltem Exequias quasdam parare videatur posthumo hoc suo cultu, æmula Soror, & nunquam minùs secunda, quàm cùm jam secunda, Oxonia. Si qui igitur Lecythi Ciceronis; si quis Genius Iunioris Plinij, aut Mamertini; si qua Suadæ Medulla; si quis Mercurius, (præter illum Gallobelgicum, qui Autumnalibus hisce Nundinis, non vocatus, huc advolauit, & pænas dedit intempestiuæ suæ loquacitatis; quà Regi nostro Augustissimo, quasi in fide nutanti, nescio quod cerebelli suj inventum, tanto Monarcha & summo Fidei Orthodoxæ Defensore, prorsùs indignum, obtrudere conatus est) sed si quis facundior Hermes; si qua Gratiarum præest gratulationibus; affatim hìc subministrabit materiam (in quâ se exerant omnes, atq; exerceant, quæ tamen omnes longo post se interuallo relinquat) fælix ac fausta Reuersio Principis incomparabilis; de quo, spe maius est, vt dicatur à me aliquis vel comparabilis Panegyricus. Illum apud se dum continuerunt Heroa Gentes Celtiberæ, ad tria ista quæ recensent Miracula, quartum accessisse audax assero. Quid [a] Pontem ostentant, cui Aqua superfluit, quæ inuerso ordine, ipsos dicatur asseres, atq; sublicia contabulare? Quid [b] Pontem item alterum, multis pecorum millibus in pascua herbescentem? Quid deniq; *Madritum* ipsum commemorant, Igneo quia Siliceo, murorum Satellitio munitum? Adstruit nimirùm hoc aliquid amplius honori ac famæ Mæniorum istorum,

[a] *Segoviæ aqueductus.*
[b] *Guadiana fluuius, qui se ad septem milliaria subter terram immergens, denuò erumpit.*

quòd Britanniam (*Cuius pars magna fuit* CAROLVS) non tunc (vt anteà dici solitum) à toto Orbe, sed à Se quoq; diuisam, concluserint: Quæ vt vndis circumquaq; alluentibus tutissima semper antehàc acquieuit, tunc primùm didicit, circumfusis ignibus (sed occultis) & contrario planè elemento, munimento, cingi. Stupendum hoc etiam non minùs, quòd nostræ Dux Cornubiæ, ad castra Castellana (rectiùs verò Cupidinis; *Et habet suaCastra Cupido*) adeò in longinquum, iter protenderit: Emansor saltèm, ne dicam Desertor: vtpote qui ad suos jam rursùs referre gradum voluerit, & Suum Nostri, Nostrum Sui desiderium, passibus retrò properantibus, æquare, complere. Quantùm in discessu isto, Sui sitientes reliquerit Castilienses (quod minimè ambigendum erit, si ex pullatis vestibus sumenda sunt indicia ægræ mentis) nihil moror referre: Satagens jam vtique domesticorum affectuum, at domesticarum laudum parcus admodùm enuntiator. Non ego quidem ex fauore Priuatorum nobilitare Eum enitar, (in quo gratia forsan officiat vero examini) sed ex opinione Exterorum, eorumq; non Triuialium, sed Procerum & Megistanum Rei pub: Christianæ, quorum à sententiâ discessionem facere nefas esset. Annon Hic est CAROLVS noster, quem Quirinalis Regni Tutor Gregorius post decimum quintus, per nuntium literariuun nuperrimè salutauit? Non multi retrò anni elapsi sunt, ex quo Iupiter Capitolinus, è Septicolli suâ Sede (suo fulmine) Bullis minacibus, non semel impetiuerat huius Regni Monarchas, ipsi per omnia in fide non contesserantes. Verùm huiusmodi terriculamentis & μορμολυκίοις, noluit Gregorius facessere CAROLO negotium, vtpote tractare volens humanissimum Principem magis humanitèr: imitatusque in hoc Periclem summum Oratorem; (neq; eundem tamen, cùm

Ἠεφερεῖ', ἀζηΐλα, ξυρεΐχυτα πὰρ' Ἑλλάδα, sed cùm Πεῖσαι ἀνάγκη) maluit demulcere flumine, quàm fulmine orationis omnia perturbare. Quid deinde agit? Quò tendit? Restitutorem scilicet Eum cupit Avitæ Religionis. At si benè Calculum posuisset, hæc Avita est quam jam profitetur, ac tuetur; tuebiturq;, vti speramus, in perpetuum, (cui voto, ac rei, det Deus perpetuitatem) deriuatam ab Antecessoribus

bus Pientissimis Fidem cum Titulo Hæreditariam, *Defensor Fidei*. Certè multis experimentis adnotatum est, fuisse ferè Gregorios, in huius Insulæ habitatores oppidò quàm faventes, proq; eorum salute procurandâ mirum in modum Vigilantes. Primus ille & Magnus, Anglos, non absq; omine, Angelos vocitauit, quasi futuros eorum concives; & Deiros (è quâ fortè Prouinciâ adducti erant, quos Sanctus Pater conspexerat) quasi de Irâ liberandos, cùm dixit, tùm curauit: (Si fides adhibenda *Iohanni Diacono*, qui Episcopum ob hæc imprimis in vitâ eius laudauit.) Ne cui igitur mirum videatur, si Postremus Iste, vnà cum nomine, eundem quoq; (dum adhuc in viuis esset) animum gereret; in Eum præsertim, qui, si quis alius Britannorum, Angelicum planè vultum geris: quod spem facit, fore superstitem hunc, ejus Successorem, vt respondeat Nomini suo, non minùs Vrbanum. Quid autem hoc ipso aliud Gregorius Principi persuasum voluit, quàm quod summè in votis habent, cui rei insudant, omnes Catholici? vt CAROLO, qui talis est vt exoptent Suum, vnà & perfruantur. Sed irrita hæc omnia vota: Atque ex hoc fonte nobis vel maximè scaturiunt vberes, & nunquam inarescentes gratulandi occasiones. Quia redijt CAROLVS? imo quia nunquam à se recessit, nunquam resilijt ab innatâ mentis firmitate, pro Aris, Focis, ac Penatibus Patrijs, Indigenisq; tacitè semper apud se dimicantis. Quòd si Terras, alio Sole, alio etiam Zelo calentes calcaverit, at promptiùs herclè cutem decolorari posse annotemus, quàm mentem.

Sed via quem dederit, rapiet citò nostra colorem
---Anglia.

Ite nunc igitur rerum prosperarum non iniqui, non invidi æstimatores, & Eum qui oculos, spesq; omnium, vnus in se defixos tenet, qui voluntates dissimillimorum, ac Fratrum instar Thebanorum, (qui in Rogo etiam divisi perstitêrunt) dissilientium, adeò natus est devincire, atq; in amorem sui adunare; vtrùm fidelis Patria ardentibus satis desiderijs, commorantem foris, reflagitare, an vlla Iubila nimiùm luxuriantia, Reducto, Recepto, destinare poterat, judicare. Quid hic referam vota absentem *Carolum* ingeminantia, *Carolum* repeten-

petenda, ac toties repetita, vt infantes ad prima adhuc verborum rudimenta offensantes, ex percrebescente sono, priùs *Caroli* nomen, quàm vel suum, vel parentum, didicerint balbutire? Frequens tunc optantibus vsus erat Interjectionum; ô si! Vtinam! quousq; tandem!

Quando erit Ille dies——quando *Populi vox erit vna, Venit!* Hic alij querimonijs, familiaribus alij alloquijs revocare studebant,

Sed reddare tuis tandem mansure Britannis——Excrescebat Nobis tunc temporis omnis diecula in annum: adeò impatientibus studijs, ipsa celeritas lento & testudineo gradu procedere videtur. Non Ipsi invisæ magis defluxêrunt horulæ Amanti, quàm nobis. Vtrisq; nempè ingratissima semper habita est omnis comperendinatio. Quoties hunc ventis adversis, qui repulêrunt Rediturientem, irati, Boream atq; obvios Aquilones damnavimus ad culeum, & Xerxeos compedes? Neq; putârim herclè alijs tandem Favonijs, quàm auris & suspirijs popularibus, vela naviganti inumuisse: Cùm præsertim Gemelli Castores, nautis nunquam infaustum præbentes Iubar, cùm gemelli, Navalem istam Expeditionem adeò propitiarent. Iam tandem quæ flaccescebant feriatæ diù, artes palæstricæ, resument vires: Iam Flos Nobilioris Iuventutis excutiet veternum, quo languebat ferè, sine Duce, sine Comite laborũ. Redditus iam sacratissimo Hephæstionum & Artabanorum Britannicorum Assessui, restituto Præside, pristinus decor, & justus honor. Tam·tsi conjectare liceat, tunc quoq; cùm remotissimè ab ijs se subduxerat, non aliud consultationum omnium Caput extitisse. Redditus demùm saluæ Patriæ, suus & salvus Germanicus: vt aliundè nunquam satis, ita non minimùm à periculis, quæ pertulit, quæ evasit, commendatus. Laudabilior vtíq; triumphus iste censetur qui cicatricibus, quàm qui siccâ victoriâ acquiritur: & chariùs donatur stupentibus amicis, quem angustiæ circumstetêrunt, discriminibus magis quàm delicijs immersum. Decumanis hic solummodò insistо; quæ Illi à fluctibus imminebant. Cùm primùm è Portu solueret, cùm postremò ad Portum, imò ad Ostium Portûs, appelleret,

——— Digitis à morte remotus——— Quatuor aut septem.
Quàm pauxillùm tunc aberat, ne vtrobiq; in Portu non spectâsse naufragium, sed fecisse, diceretur? qui cùm exorbuerit hasce difficultates——— *Quis curam neget esse iam deorum,*
Propter quem fuit innocens vtrumq;?
Quis Deum viciſſim Ipſi curæ ac cordi fuiſſe, non perſuaſiſſimum ducat? Qui ex quo primùm dolatis lignis ſe commiſerat, Templo vectili, in mediis etiam fluctibus utebatur; at valedicto ſemel Neptuno, & Palatiis iſtis marinis, è Navi agitatâ in Navem Eccleſiæ fixam, fidamq;, conſeſtim ſe proripiens, Templum Domini ante omnia ſalutavit, atq; ibidem Domino Templi, Votivam quaſi de Naufragio Tabellam gratiarum, pro ſuâ, pro ſuorum incolumitate dicavit. Nam è numeroſo comitatu, quem in Profectione ſibi famulantem adiunxerat, vix numerum, exactis tot menſibus, ſenſit à morte diminutum: ſic illos Principi, ſic Principem ſibi, (quaſi ad maiora natum) reſervante Cæleſti Excubitore. Neq; cuipiam promptum eſt diuinare, quenam exundantior ad primum iſtum appulſum, occupavit Eum dulcedo, conſpecto Natali Solo, an Templo: quorum utrumq; intra propria limina, quaſi poſtliminiò revocatus, tunc primùm attigerat. Vtpote qui iam Patriâ, inq; Patriâ, ſuorum Rituum conſcio potitus Oratorio, non poterat grandi ſolatio non acquieſcere, cùm potiſſimùm eò perventum animadverteret fœlicitatis, ut illic cum Patre, in Regiâ ſuâ, hîc cum Deo, in Domo ſuâ, paſſim palamq; exoptatiſſima miſcere liceret colloquia. Noluit profectò pientiſſimus Princeps, Deo iuxtà ac Regi perquàm charus, aut pietatis Illum, aut amoris Iſtum tributo defraudare. Quippe iſtius moniti memor, *A Iove principium*——— proximum IACOBO, à Iove tantùm ſecundo, cultum, officiumq; deſtinavit. Quòd ſi cum deſideriis Novi iſtius Hoſpitis (viſendo Britanniam ſuam mirè delectati, viſendiq; in Britanniâ, Sui & Patriæ Parentis, aviditſimi) alternantia, atq; Antiphonaria noſtra Iubila, nondùm paria feciſſe iudicentur: ſi parùm adhuc atteſtatum fuerit, ex effuſâ & denſatâ undiq; occurrentium, proſequentiumq; multitudine; qui & Sui & Principis obliti, blandâ quâdam injuriâ, aliò properanti retardabant Iter, atq; cunctis

agminibus non ſatellitium Illi machinari videbantur, ſed obſidionem: Si hoc non ipſâ luce ſuâ clariùs oſtentârint, ſtellatæ tot ignibus plateæ, quantò major ubiq; tunc erat conflagratio animorum, quàm lignorum; cùm jam tota Civitas, immò tota Regio, unum dicenda eſſet, & magnum Incendium; neq; prætereuntibus calcare Terram liceret, ſed Flammam: Si minus illiteratorum perſuaſerit peculiaris quædam Rhetorica, plus factis, quàm dictis, & magis geſtibus quàm ſermonibus valens; utputà dapes opiparæ, lauta convivia, exiccati in Sympoſijs fœcundiores calices, & tunc ſaltem non exoſi, Reducis CAROLI memores Compotores: Si poſtremò mea horum omnium ἀναπαλαίωσις, & repetita repræſentatio, fide Hiſtorici potiùs, quàm Panegyrici fuco, adornata, infra fœlicitatis noſtræ juſtâ deprędicationem ſubſiſtant: accedat modò quaſi Coronidis loco, Regis (ſi unquam aliàs, tunc cùm Filium miraretur incolumem) Sereniſſimi, Palmaria exultatio, ad quem unà cum CAROLO votorum jam compote, mea delapſa eſt Oratio; Et interrogabo fidenter Annales, annon iſtius Celebritatis natales adhuc audiendi ſint, quæ uberiori unquàm fœnore gaudiorum pullulârit. Quæ (ſi nihil in cauſâ) in communitate ſaltem ovationis aliquid ſibi proprium arroget ac peculiare: concurrentibus ad hanc palàm (vel ad oſtentationem) etiam ijs, quos fortaſſe ſecretò mordet: ne ſuâ ſingulari continentiâ incurrerent contumeliam; ne ſi fugerent cœtum, & cœnam quaſi gratulantium, non effugerent notam, aut vœcordium, qui ad hujuſmodi lęta officia occalluerint, aut malignorum, qui repreſſerint. Quàm autem hìc minimè ſilendum occurrit, illud Regis, (aliàs Θεοφράστου, & divinitate quâdam loquendi pollentis, ſed iam tùm ad primum cum Filio congreſſum, quaſi novitate rei perculſi) intentum & acre ſilentium? Conticuit Rex; conticuit CAROLVS; immò

Conticuêre omnes, intentiq; ora tenebant.

Quibus jucundiſſimum hoc ſpectaculum præbuiſſe, proximè à conſpectu CAROLO, nullus dubito. Vbi nimirùm intueri liceret, IACOBVM & CAROLVM amplexu (quantum dignitatum, atq; ætatum paſſa eſt diverſitas) familiari, ſe mutuò implicantes: ubi conſpicari datum eſt, tantam in

gaudio

gaudio elingui Majeſtatem; quaſi oleret iſtud aliquid plebeium, vocem non vulgari lætitiæ (adeòq; non eodem modo evulgandæ) commodâſſe. Erat utiq; in illâ reciprocâ parcitate ſermonis, quædam minimè verboſa, ſed maximè viva & efficax confabulatio. Neq; alitèr Mæonius olim Vates, Vlyſſem atq; Telemachum, ſeſe mutuò agnoſcentes, in cauſâ non diſſimili, depinxit: quibus intenſiſſima lætitia priùs lacrymas expreſſit, quàm loquelam. Ille ſcilicet μνημόνες Pater (quod fortaſſè & hîc factum eſſe nemo eat inficias)

----- Τὸν χάρη, κατὰ δ' ὄμματα κεῦθε
Δάκρυσιν ἶσα χαμᾶζε -----

Non ſolus enim humeſcentes oculos luctus, ſed quandòque riſus vendicat: qui tamen non niſi dulces lacrymas elicit, ſervatq; hoctemperamentum, Δακρύοις γελάσας---. Verùm hîc cum amarſudine nihil erat commercii; quin lætæ, quin proſperæ omnia, & niveâ unione notâdæ, in Appulſu Ipſius gratiſſimo, de quo quàm omnibus omnium hominum ordinibus, acceptus fuerit, accepiſtis, audite etiam quàm nonnullis fuerit opportunè ſalutaris. Qui, cùm palàm factum eſt rediiſſe, ut ſuſpenſas omnium cogitationes liberavit, ita ipſum quodammodò ſuſpendit ſuſpendium. Nam damnatis, & penè in ipſâ mortis vicinià conſtitutis, quorum è mentibus conſternatis, ſummus extremorum timor, carnificis & necis, omne prorſus ſolatium, poſtremò & ſpem totam (quæ nouiſſima afflictos deſerit;) eliminâſſet, quaſi Beneficum Sydus eluxit; atque in eorum ſalutem, (nihil tale ne ſomniantium quidem, nedum expetentium) ὅσπερ θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, quod dicitur, derepentè atq; inopinatò apparuit. Quæ iam igitur gutturis non arctati commercia, Liberatori ſuo locare? quibus precibus nomen ejus inſerere cœlo nitentur Abſoluti? Immò, vt omnibus incumbat pro Eo ſuſceptus labor, qui omnes reficit, (reficietq; vnà hic ipſe labor) quot ſingulorum ſupinis, junctiſq; manibus, hoc Divino Numini gratandi munus demandabitur? Quæ Rubricæ, Nonas Octobris, medias ferè inter illas Auguſti ac Novembris celeberrimas, vnà cum ijs ad ſeram poſteritatem tranſmittent? Quæ Victimæ, quæ Sacrificia, quæ Hecatombæ, numero, pondere, prægravabunt Altaria? Certè ſi non

aliæ facilè sint parabiles, sufficiant saltem pro Hecatombis, illæ ex Vatum more ac voto toties expetitæ,

——— Centum linguæ, oraq; centum:

in gratulationes, in Encomia, in carmina se insumentes. Hinc argumentum Historia, hinc Poetica desumat; hinc denique finem Oratio mea.

Et iam tempus Equum spumantia soluere colla:

Iam mihi quoq; vela contrahenda sunt: quorum vtrumque jam præstitit, quieti redditus, & quasi emeritus, meritissimus Princeps; Cuius equitantis uestigia, cuius nauigantis orbitam, à carceribus ad metas, à fluctibus in portum, per mare, per terras (licèt impari gressu, non tamen irrito conatu) humili meo sermone, ac humi reptabundo, prosequi, pro viribili, contendi. Pareo equidem libens Exemplo; his primùm præmissis, ex veterum ritu, verbis conceptissimis: Vt Hercules noster Prodicius, arduam virtutis viam iam pridem ingressus (nonnihil etiam Herculei laboris prælibans; vtpote qui ad Hispanias vsq; penetrârit, atq; inde, si non armenta Geryonis, equos saltem *Philippi*, abduxerit) vt CAROLVS noster, Augusti felicitatem, Traiani probitatem, exæquet? (dilutum hoc nimis, jam facit) immò excedat, superetq;. In summâ, subductis hoc insuper votorum rationibus adjicio, vt IACOBI prudentiam, fæliciter patrizans, habeat cum Regnis hæreditariam. Accedant deniq; tam præclaris dotibus, à summo horum omnium Largitore, Anni, neq; supra fidem, neq; infra merita, sed quantum satis est, è re Suâ, è re publicâ, è re literariâ, prorogati.

FINIS.

CAROLVS REDVX.

In reditum Illuſtriſſimi Principis Dominici Dedicationis.

VT ſol iuſtitiæ ſolem ſurgendo refecit,
Ipſe dies Solis fitq; dies Domini:
Lux noſtra, haud aliter lucem redeundo redux'ti,
Atq; dies Domini CAROLE facta tua eſt.
Hoc ipſoq; die ſe Eccleſia dedicat ipſam
Ad lictus, quò te gratior aura tulit:
Sic nos vt toti conſecraremur & ipſi,
Tradere te Domino vota preceſq; queant;
(Quod monet ipſe dies, monet officiumq; diei)
Et lætas laudes pſallimus atq; pias.

R. KETTELL, *S.T.D. Præſidens Coll. S. Trinitatis.*

ANglia, Quis, Qualis creviſti (CAROLE) nouit,
Hoc narrat mundo: mundus at obſtupuit.
Crediderat ſuperâſſe fidem quæ dicta: Britannis
Et tam præſentem vix velit eſſe Deum.
Mundus at inſpexit Te (CAROLE) Gallus, Iberus;
Qualis ſis, dicat Mundus, & inuideat.

FR. BRADSHAW *Magd. S. T. Doct.*

TEr salue ter-grãte Redux, qui nostra reducis
Gaudia, quæ peregrè longam habuere moram.
O noli posthac peregrinas tangere terras!
Nos, TE absente, scias non habitare domi.
PATREM olim, nunc TE peregrinum Sponsa petita
Fecit; at ô teneat vox repetita, domi,
Quando aberas, toties clamantis (QVANDO?) popelli!
O quandò reddis mihi? quandò redis?
Carole, quandò redis Britonum Spes? Gloria? Lumen?
Carmen? Culmen? Amor? Gemma? Corona? Salus?

Aliud.

Vere iter ingressus, ver *Carolus* abstulit; atqui
Ver nobis retulit, se referendo, novum.

IO. RAWLINSON, *S.T.D. Aul. S. Edm. Princip.*

De nuperis Comitijs Sterilibus, & de sex Incepturibus in Facult. iam præsentatis.

IMbelles fuerant, miseræ sine Principe, Musæ:
Comitijs, vestis congrua, *pulla* fuit.
Luctus adest: & abest præsenti Purpura Luctu.
Non est conueniens Luctibus ille color.
Te redeunte redit vestis prior, & prior Artis
Almus Honor, Mens, & (CAROLE) vita prior.
Oxonidas steriles metuat quis deniq; Musas?
Fœcundas facis has Noster Apollo Redux.

Anglia ad Principem.

Quàm mihi sis charus didici nimis ægra Carendo.
Vt valeam, semper da mihi posse Frui.

IOH. BANCROFT, *S.T.D. & Coll. Univers. Magister.*

O Quoties precibus pulſauimus oſtia cœli,
Vt pelago fauſtum Principis eſſet iter!
Et quoties pauidi infeſtas trepidamus ad auras,
Siue Aquilo inſonuit flamine, ſiue Meſes.
Ecce fauent tandem venti, cœlumq; , fretumq; ,
Et vox læta, Venit, ſit modo clamor, Adeſt,
Ecce vias Dux ipſe redux, poſitoq; periclo,
Vt *Ionah* ex alto CAROLVS ecce redit.
Ille quidem verè *Ionah*, Britonumq; *Columba*,
In cujus labijs pacis oliua viget.
Exultet populus, ſoluantur, vota, canamus,
Gloria in excelſis, Pax ſit & alma ſolo.

GVIL. LANGTON *S.T.D.*
Coll. Magd. Præſes.

SVmme *Pater*, cujus moderamine cuncta feruntur,
Æternaſq; obeunt, triſtia, læta, vices;
Quid *Phœbum*, aut *Muſas*, aut *Numina* cæca moramur?
Quòd redijt *Princeps*, gratia ſola tua eſt,
Per juga, per valles, nullus *Caduceſer* illum
Tranſtulit, aut reddunt, *Æolus*, *Vnda*, *Triton*.
Æthereo ſpirans ſed ab axe benignior *Auſter*
Littus ad optatum Carbaſa grata tulit.
Ergò triumphalis dùm ſplendeat *ignis* vbiq;
Et loquitur plauſus exagitata *mola*;
Noſter *Io Pæan* ſint cantica ſacra, quòd adſit
CAROLVS, his fidibus geſtiat eſſe domi.

IO. PRIDEAVX *S.T.D. Profeſſ. Regius.*

QVòd perſonatus, nec præcedente tuorum
Agmine, privatus peregrini limina Regis
Aduena pulſaſti; res non temeraria. Magnis
(CAROLE) numinibus, fatiſq: ingentibus ibas.
Non aliter nobis pietas patuiſſet Iberi,

Heſperizq; fides, genio victura perenni.
Non aliter Britonum cognòſſes pectora, qui te
Injuſſis lachrymis per tot diſcrimina flebant.
Non aliter Reduci tibi tot votiua dediſſent,
Teq; ſalutâſſent tanto clamore Britanni.

Ad Georg: Ducem Bucking: Magiſtrum Equor. Britannia Thalaſſiarchum.

Quòd terrâ inçolumis, ſalvuſq; reverteris vndis;
Vectorem agnoſcunt Claſſis Equuſq; ſuum.

THO. ANYAN, *S.T.D. Præſ. C.C.C.*

QVàm metuunt, ſperant, varijs affectibus Angli!
Dum cœlum mutas (CAROLE) non animum.
Quòd ſi mutatus rédeas, mutatio pulchra eſt,
Doctior & melior, CAROLE, quandò redis.
Hinc te nobile nobilitas quæ trans mare currit
Exemplar, quanquam vix imitetur, habet.

L. W. *A.M.P.*

DVm gaudent alij (parcat mihi Gratia veſtra)
Iraſcor; cauſam noſcere numne velit?
Ob reditum pleriq; tuum non gaudia produnt:
Gaudent ingenium prodere poſſe ſuum.
Concepêre priùs, quàm gaudia, carmina, multi,
Lætitizq; fuit quiſq; poeta ſuæ.
Vah præcox ſtudium! ſed noſtra hæc gaudia vera
(Vt ſpero) nunquam ſera venire queunt.

BARN. POTTER, *S.T.D.*
Coll. Reg. Præpoſ.

Hoſpitis

CAROLVS REDVX.

HOspitis, en, Reditum votis Infanta secundat,
Principis & reditum, Musa, tacere potes?
Et tibi fas votiva maris terræq; potenti,
Principe pro salvo, reddere σῶστρα Deo.

Per æstuosi vortices avidos freti,
Per naufragiq; turbidos rapidos Noti,
Per & cruore Galliam undantem suo,
Sicariisq; semper infestas vias:
Per febrientes torridi tractus soli,
Morasq; in * urbe (sic † ferunt) cinctâ ignibus:
Certè igneas per amoris enthei faces,
Languentiumq; Amantium deliquia;
Tandem & per incapax tuarum navium
Importuosi littoris vadum, & mare,
Quod orbitatis causa matribus frequens:
Per hæc, per &, quæ animus referre horret, mala
Redîsti, iô, sospes redîsti, CAROLE,
Tuis Britannis, atq; Iberis, jam tuis;
Rediit (tui quod sospitantis opus, Deus)
Princeps, quot vspiam fuerunt principum
Decus, ambiendus vel Tago toto procus.

* *Madrid.*
† *Navigier, quia silicibus circundata.*

Καὶ σὺ ἄρ' ἡμῖν, Κάρολ', ὅσα πολυμῆτις Ὀδυσσεύς,
ὦ μαλὰ καὶ πλαγχθέντι μέμηλ' ὄνυμα νέεσθαι,
Ἀρνυμένῳ σῶντε Ψυχὴν καὶ νόστον ἑταίρων.

Dum de Principe CAROLO timebam,
Dum pro Principe CAROLO litabam;
Dum per seria CAROLVM diurna,
Dum per somnia CAROLVM requiro;
Me de Principe filio IACOBI
Securum, ecce, facit Deus IACOBI.

RO. PINCK, *Novi Coll. Cust.*

Anglia ad Navem.

O *Navis*, altum quæ stimulas Mare,
Et quæ Britannæ *Delicias* vehis,
Nostrum, per immensos labores,
Da CAROLVMQ; pericla lapsum.
Multis abundat Terra periculis;
Vndis superstant naufragia & suæ:
Sed cui profecto *Terra* mitis,
Huic reduci foret alma *Tellus*.
Et cui profecto candida dat suum,
Et molle, tutum & dat gremium Thetis,
Post mensium pericla septem
Huic reduci Thetis alma fiet.
Discessit acer: sic redeat celer
Speratus Anglis CAROLVS. Anglia,
Post mensium pericla septem,
Nunc iterum metuo futura.
Dele timorem: da CAROLVM mihi,
Stirpis Britannæ progeniem meæ.
Nec fas sit insomnes Britannos
Sic vigiles agitare noctes.
Orbata quandò Deliciis queror,
Orbata quandò *Principe* lachrymo,
Nostras quis audiret querelas,
Vel lachrymas aboleret istas?
Tu sola *Navis* (*lignea* quam *trabes*
Vitæ reservat) tu potes unica,
Debes & audire has querelas,
Et lachrymas abolere nostras.
Tu redde *nostrum*, quem reducem tenes,
Tu solve, velo præpete, *eredivum*.
Gemmam, sat Anglis credidisse;
Restitue, incolumemq; præsta.
Non, quæ rotundi marmoris ambitum
Draco sub uno circumit *Ratis*,
Sic grata nobis vel celebris,

Vnica

Vnica quàm fueris, benigna.
Tu laudis æternæ cape lauream,
Et vota (*Navis*) tu Britonum cape,
Si restitutum post pericla
Des Populo CAROLVM Britanno.

Hos ego dum tremulus numeros de *Principe* cudo
Intonuit (fato sed meliore) *Redit*.

ABite luctus, lachrymæ; fugiat metus,
Et quicquid Anglis nubilam frontem tulit.
Adsint Triumphi, *Flamma* quos narret polis:
Campana resonet: pedibus & gratus labor,
Adsint *Chorea*: & Pompa quæ scenam premat.
Clangor tubarum, sibilus litui, levis
Manuumq; plausus, gaudium, & nostros jocos
Simul loquantur. *Redijt*; & reditu abluit
Princeps timores CAROLVS. *Redijt*. Placet
Repetere vocem. *Redijt*, & reditu addidit
Alacritatem CAROLVS. Cordis vapor
Iam transit omnes venulas; vegetus salit.
Non qualis olim torpidus; vivus fluit,
Non qualis olim lividus sanguis genas
Infecit Anglas. Oculus atq; animus vigil
Adflata vela prospicit, faciem videt
Desiderati Principis. *Populus* Manum
Rapit osculandam *Nobilis*: Populus *Diem*
Clamat sacratum CAROLO: *rubrum* vovet
Octobris *atrum*: vult & hunc *rubrum* pari
Quâ fit *November* sorte; vel fato pari
Quo *quintus* ille rubuit *Augusti Dies*.
Tremuit *November*, tremuit *Augustus*: metus
Vtrinq; iustus. Quantus hîc simul est metus,
Metûsq; causa? *Terra* peragranda & *Mare*.
Lapsus equorum, varium & ambiguum *Mare*
Quid non minentur? *Regis* & *manus* tenax,

Amara

Amorẽ, quam non ſingula faciant moram?
Moramq; quam non *duplicem* iuncta faciant?
Omniſq; mora Mors eſt. *Moram*, *Mortem* facit
Qui ſperat animus: multiplex Mors, ut Moræ
Adaucta cauſa multiplex. Fatum erat
Marcore penitus Angliæ Populum mori,
Abolet tenebras, reddit obſcuris Diem,
Vitamq; ſemimortuis. *Iõ* veni:
Veni *Triumphe*: CAROLE (qui Salus) veni,
Vt non relapſum *Terra* patiatur, ſemel
Diviſa, nunc rejuncta, ſed ſemper *Tua*.
Recidiva Morbo pejor eſt primario.
Recidiva toti Mors foret Britanniæ.
Timuiſſe nobis ſat ſemel: nimium, *mori*.

ED. LAPWORTH, *Doct. Med. & in Nat. Phil. Profeſſ.* SEDLEIANVS.

Chronogramma præſentis Anni 1623. in quo Sereniſſimus Mag. Britannia Princeps rediit ex Hiſpaniâ.

MDCXXIII.

ReDVX MensIs OCtobrIs qVInto.

MEnſis quinte dies benigne nobis;
Menſis quinte dies beans Britannos.
Tu nobis numerande fronte lætâ;
Tu nobis memorande mente gratâ.
Auguſti recolenda quinta lux eſt;
Hæc ſalvum dedit OPTIMVM IACOBVM,
Splendens Imperii caput Britanni.
Ipſumq; Imperium dies Novembris
Quintus ſulphureo à furore ſervat.
Octobris reducem deditq; quintus
Illuſtrem CAROLVM diu petitum,
Spem, magnumq; decus Britanniarum,
Menſis quinte dies benigne nobis.

THO. CLAYTON *Med. Profeſſ. Regius, Aulæ Late-port. Principalis.*

CAROLVS REDUX.

Pierides nuper triſti ſqualore ſedebant,
Nec Lauro cinctæ tempora; Phœbus ubi?
Viſurus Daphnen, Charitum comitatus alumno,
Linquebat doctum Phœbus Apollo chorum.
At Phœbus rediit, redeat jam Laurea Muſis,
Quæ Phœbo exoptant gaudia ſacra ſuo.

I. BAINBRIDGE *Med. Doct. Aſtronomiæ Profeſſor* SAVILIANVS.

SIc ubi ſemotâ pigræ caligine noctis
Lucentes Aurora fores patefecit, & alto
Oceano ſurgens conſcendit in æthera Titan,
Orbi læta redit facies, & mille volucres
Mille repercuſſis teſtantur gaudia ſylvis.
I Tibi cum nobis fælicia numina Princeps,
Quæ vix humanæ ſubeunda pericula ſorti,
Monſtrârunt ſuperanda Tibi, perq; ardua fata
Virtuti fecêre viam: Non illa capacem
(Quâ patet) exemplum magnum ſpectanda per orbem,
Vnius compreſſa pati confinia gentis
Debuit, & tepidæ meritum permittere famæ.
Ergò Caledoniis cunis egreſſa, Britannis
Emicuit, ſplendore tuo perfuderat Anglos
Parvula adhuc Cambroſq; ſuos iam maior Iberis
Affulſit, gelido exiliens ut fulgur ab Arcto
Auſtrales penetrans mirabile fertur in æſtus.
Et nobis, miranda tuæ quibus acta iuventæ
Tam propè continuo prætерlabentia motu,
Obſervata minùs perierunt penè, receſſu
Iam fiunt pretioſa tuo. Sic antè ſalutis
Inſcius, arenti correptus febre, dolendo
Sentit, & excuſſi gratus poſt tædia morbi
Divinam profitetur opem; ſic optime Princeps
Nos Tibi præſentes Divos gratamur, & in Te
Cæleſtem nobis læti meditamur amorem.

RICH. ZOUCH *Regium Profeſſ. Iure Civ.*

IPse est: nec vanos captat iam fabula plausus,
Blanda nec incerto murmure fama volat,
Quæ reprimat festos, dudum quos struxerat, ignes
Lætitiæ arreptos destituatq; sonos.
Ipsa tamen pro *Te* mendacia chara placebant,
Dumq; erras, noster gratus & error erat.
Quemq; adeò vanis juvat indulgere susurris,
Dum tandem & veros tu veniendo facis.
Absolvis famam: nec jam prior illa videtur
Falsa, sed adventum vaticinata tuum.
En passim effusi patres! en læta iuventus!
Vt properant oculos pascere quisq; suos!
Nec vidisse semel satis est, iuvat usq; morari,
Dum repetat vultus grex pius usq; tuos.
Vulgi olim studium, iam fecit *Iberia* flammam,
Zelotypusq; sui est *Principis Anglus amor*,
Obsequij illecebras peregrini cogitat, indè
Vritur, officiis luxuriatq; novis.
Si tuus hoc voluit discessus, ut indè tuorum
Quæ latuit pietas notior esset, habes
Quo genti gratêre tuæ, nec tædia longi
Pectora nunc querimur discruciasse metus.
Hac mercede dolor lucro est, redituſq; Britannis
Fœnora lætitiæ tristibus ampla dedit.

GVILIEL. IVXON *LL. Doct. & Coll. D. Iohan. Baptistæ Præses.*

QVæ nova iam rerum facies? quid purior aura?
Quæ iam non verno tempore verna nitet?
Nempe huc usq; gravis sua gaudia distulit annus,
Expectans dum tu, CAROLE, ad illa redis.
Hactenus occideras nobis, Sol occidit unà;
Ante diem languens annus, & occubuit.
Nunc reparas Phœbum: tecum rediisse videtur;
Et pariter cursus, disposuisse suos.

Surgit

Surgit ab occaſu ſibi ſol contrarius: olim
Qui locus Occidui, nunc Orientis erat.
Sed iam parce nimis (noſter Sol) eſſe Planeta,
Et Sphærâ ſtabilis conſtituare tuâ.

P. H. Rector Lincoln. Coll.

SAlvus es, aſt Angli ſacra O Neptune benigne
Nulla tibi faciunt, Æole nulla tibi:
Fælix Anglorum fuerint ſuſpiria ventus,
Ex oculis populus miſerit Oceanum;
Vel Thameſis dominum cognoſcit læta, paratum
Stat, promptumq; ſui fluminis obſequium:
Sic fluctus, piſces ludunt, ſic omnia læta,
Autumno, ut vernum tempus adeſſe putem.

IOSVA ASSGILL *in S. Theol. Incept. C. C. C. Soc.*

QVid obſtupeſcit populus, emenſumq; iter
Meminiſſe metuit Principis, tanquam viæ
Memoria, pœna adhuc foret? Terræ & Maris
Lucratur ille malitiam, & fruitur malis,
Quæ noſtrum amorem & robur illius probant.
Teſtantur iſta ſcilicet pericula,
Patiens laborum corpus, & viæ aſperæ,
Prudenſq; rerum pectus, &, res ſi exigat,
Animæ libentèr prodigum magnæ virum.
Et, quod Britannis maximum ſolatium eſt,
Vel pervicacem fidei, & ardenter pium,
Numquamq; Cælo perfidum, aut Patriæ ſuæ
Vtq; obſtinatus fidei & indocilis foret
Deflecti, Iberos rapuit amplexus tamen,
Laudantq; ſanctam, cui invident, conſtantiam.
Mirantur alios Subditi, atq; illum exteri:
Cumq; ingruebat Gentis Heſperiæ favor,

Mereri honores, non frui, optavit suos:
Multosq; fugit, quos tamen fugit, magis
Fugiendo meruit, & fruebatur magis
Tantum Britannæ redditum terræ decus
Mirentur alii & prædicent, nostri colant,
Optentq; (maius fieret optare impudens)
Vt salva nobis semper hæc maneant bona.

NATH. BRENT *LL. Doctor, & Coll. Merton. Custos.*

Prosopopœia ad nautam.

QVæ tibi fælicem direxit (navita) cursum
Stella per Australes ut vehereris aquas?
Quis tibi circinulus, quænam versoria jussit
Ductilis Arctoas vela redire plagas?

Resp.

Non ego famosas lustro metuentior ignes,
Publica non curat sydera noster amor.
Ipse meam mecum porto, quâ navigo, lucem,
Instar es ô geminæ, CAROLE sole, facis.
Ille meum solus lumen, nisi sydere in uno,
Fortè nova est oculis visa Corona meis.

Iohannes Portman è Coll. Wadh. Baronettus.

MEntitus formam quòd Princeps CAROLVS exit,
Per freta, per montes, itq;, reditq; celer;
Ne mireris; Amor iussit; Nam *Iuppiter* ipse
Factus ob Hunc olim *bos, equus, imber, olor.*

Rob. Burton Sac. Theol. Bacc. ex Æde Christi.

שמחת מקוים:
אין כמו בזה בן מלכנו:
אדו מאמר ולאנטו
כי לו צדת מלאכיו
ולשמרו בכל דרכיו:
ואם ליהוה יהה שיר
ושמח שמחת מקוים:

Edvardus Meetkerkius, ex Æde Christi;
Linguæ Sanctæ professor Regius.

NVM quòd futurus arbiter mundi & maris
Dominator audis, pervium rostris iuuat
Pelagus secare? & scire, quàm facili manu
Quatias tridentem? quos sub imperio tuo
Tumida minores æquora agnoscunt Deos?
Num quòd Britanna non capit tellus tuæ
Virtutis Vmbram, non * *Alexandrum*, Patris
Angusta regna, quæris ignotos lares?
Vbi generosa pariat exemplis novis
Mundo stuporem, regij ingenij indoles?
Num quòd sacrata visere antiquæ placet
Monumenta famæ, sæculi prisci decus,
Hominumq; mores discere, atq; Vrbes iuvat,
Quas olim avorum diues extruxit manus
Forsan tuorum, regna Gallorum petis?
Et arva, quæ sub sydere Hesperio iacent?
Num quòd creatam sanguine humano parē
Reperire nescis Coniugem, æthereos paras
Ambire thalamos, prole vt æternâ domum
Firmet Virago, cuius immensas opes,
Formamq; verè cœlicam, & dotem, & genus
Miretur orbis, nullus exæquet dies?

* Μεγαλοφυΐα σε ἐ χωρεῖ. *Plutarch. in vitâ Alexand.*

Num quòd tuorum ſic Britannorum fidem
Satis experiri, Vota, pietatem licet,
Deſideratum Principem, hæredem Patris,
Regni columnam, qui nec abſentem ferant,
Vndante fluctu ſæva tranſmittis freta?
Peracta cuncta: ſenſit imperium tuum
Mare, regna tanto Galliæ exemplo ſtupent,
Stupent Iberi: Iam tibi noti ſatis
Mores, & Vrbes: Virginem ætheream Vides:
Nec Vota deſunt, aut Britannorum fides.
Et quòd peracta, quòd tuos læto omine,
Reviſis Anglos: Thura doctarum ferunt
Manus ſororum, Feſta celebratur dies,
Muſæ triumphant carmine, & flammas pias
Academicorum lætus incendit Chorus.
Inviĉte Princeps, unicum Anglorum decus,
Sydus IACOBI, Stella Hyperborei Poli,
Luſtrato Populos lumine æterno tuos:
Luſtrato radiis noctis umbroſæ chaos:
Tuus ortus animos addit, occaſus metum:
De te tuorum pendet Angligenûm ſalus:
Si tu recedis in diem, annorum vices
Querimur peractas: Dumq; violentæ manus,
Oculiq; cælos, ipſum & invadunt Iovem,
CAROLVM à Britannis nulla deducat dies,
Quin nec Britannos à ſuo CAROLO, genu
Supplex ad aras populus exoptat, ſuos
Vt vota quæram, ſic & inveniant Deos.

Sam. Bernard SS. Theol. Bacc.
è Coll. Magd.

IAm benè ſæviſtis diſcrimina; jamq; timores
Vtiliter tellus fecit, & vnda ſuos:
Iamq; Pyrenæis manibus gratamur, & altis
Rupibus, & durum quicquid Iberus habet:

Scilicet

Scilicet his noſtræ debemus gaudia gentis,
Scilicet his laudes, CAROLE magne, tuas.
Ingens namq; ſui quæſiuit ſpiritus extra
Materiam: arcta nimis terra Britanna fuit.
Exuit & ſeſe, ne Principis ora timerent,
Et ſua priuatus prouocat ille mala.
Quàm placidè excepit ventiq; mariſq; procellam,
Pondereq; ipſa fuit tuta carina ſuo.
Sed nimia offecit virtus; vnumq; videtur
Hoc peccâſſe, fide quòd graviora tulit.
Poſteritas non credet iter, (ne fabula fiat
Hæc via, magnanimus debuit eſſe minùs)
Aut ſi crediderit, ſe raptam, vindice cœlo,
Credet ab immenſis ipſa fuiſſe malis.

Guil. Simonſon, Art. Mag. & Coll. Mert. Socius

SIc, quando amores Cœlitum quivis polo
Ambit relicto, ſæpè diſſimulat Deum,
Habituq; tutus pergit alieno procus,
Iuvat innocentem patriæ ſtomachum tuæ:
Meminiſſe Princeps: inq; IACOBVM pias
Narrare Satyras: Itanè nequicquam tui
Memor pericli, CAROLVM tradis freto?
Sagaſq; ſpernis halitu doctas ſuo
Ciere fluctus?
Aſt ille ſenſus nubilos altè premens,
Proprioq; mentem myſtican involuens ſinu,
Prophana ridet murmura; & vulgi metus
Amat q; neglgitq;. At interea volat
Tumente velo CAROLVS: Littus legit,
Oraſq; primo Gallicas calcat pede,
Iterumq; ſemet Lilijs miſcet Leo.
Hinc inde ſpectat bellicas oculo parùm
Patiente foſſas: ſpectat iratus ſibi

Britonum

Britonum labores, molibus vastos suis:
Stomachansq; pergit. Interim rumor crepat,
Spargitq; latè CAROLVM: proceres stupent
Et vulgus alta gnostici attonitum legit
Prædicta libri, sanguinem, & Cædem & Luem,
Exoticumq; principem: plaudit sibi
Mentitus artem prosperè, Impostor grauis.
Et jam lupato CAROLVS pernix equo,
Per nubilosa Montis Hesperij juga
Anhelus vrget. Linquor, indocilis sequi:
Et sospitali CAROLVM trado Iovi.
Abigas precamur, Iupiter, fatuam procul
Erraticamq; Flamulam: Empusæ gravem
Pellas odorem: sed nec oblitus viæ
Post Mormolyciæ devios nutus eat:
Transversa purges omina, obtestor, vagos
Lemurumq; saltus: pergat auspicijs tuis.
Cùmq; æstuosas gentis Hispanæ plagas
Sudans subibit, Angelo mandes tuo,
Roseisq; sacrum ventilet pennis caput,
Reducemq; præstet. Annuit votis Deus,
Suæ misertus Angliæ, & Reducem dedit.
Obnube vultus Musa, supremo silens
Stupensq; mecum fruere lætitiæ gradu.

Εἰς τὴν ἀποδημίας καὶ νόστου καιρόν.

Ἐαρῆν, καὶ Ἄρκτου κλίματ' ἤμβησε Ἥλιος:
Νότον δὲ χωρεῖ Κάρολος:
Ἐπῆλθ' ὄπωρα, φοῖβος εἰς Νότον τρέχει.
Κάρολος πρὸς Ἄρκτον νέσσεται.
Ὡς οὐκ ἐδεῖτο τ' αὐτὸ τοῦ κόσμου μέρος
Φοίβουτε σοῦτε Κάρολε.

Ioannes South, Græcæ Linguæ Profess. Regius,
& Novi Coll. Socius.

CAROLVS REDVX.

CVm Sol discedit, ripis se comprimit amnis
Nilus: ad aduentum Solis inundat agros.
Sic fons Castalius, qui nuper paupere venâ
Fluxit, ad adventum Principis auxit aquas.
Oraq; cunctorum rigat: atq; Hinc quisq; Poeta est,
In Reditum CAROLI carmina quisq; facit:
Queis natura negat, facient pia Gaudia versum,
Et CAROLVS numeros, ingeniumq; dabit.

Henricus Glenham, Equit. Aur. Fil.
è Coll. Trin. Art. Bac.

De nouâ R. *monetâ Plumis* P. *insignitâ.*

VIscera Telluris, (Princeps) vt Corda Tuorum,
Exiliunt, Plumis jam calefacta Tuis:
Aurescit propiore suo Te Sole Fodina,
Læta tuo reditu, CAROLE, lata micat;
Ecce, domi *Rio de Plata*, Tuus ecce *Columbus*;
Per *Middeltonias* Indiam aditur Aquas.
Mira cano; Pius est, qui extraxit viscera Matris;
Te redeunte, grauis cor leue Pluma facit.

De Terrâ è Mari vindicatâ in Vecti Insulâ.

Cur modò se major protenditur Anglia in Austrum?
Cur salit Agna tuo, magna Balæna, loco?
Ni præuenisset, foret hîc via firma per vndas,
En, CAROLVM occurrens Terra referre cupit.

Ἧς οὐδὲν πατρίδος γλυκερώτερον οὐδὲν Ὀδυσσεύς,
Οὐδὲν σοῦ γλύκιον, κῆρ οἶκον εἶδε πάρος;
Ἦλθ' ὡς οἰκοστῷ ἔτεϊ μιγὰ κάρολος ἔλδωρ,
Ὄλβια πάντ' ἐν ὁδῷ, ἡγεμόνευε Θεός.

Tho Prichard, Art. Mag.
Coll. Ies. Soc.

CAROLVS REDVX.

OLim ſplendorem mittens hinc inde coruſcum
Fulſit *ab Eoia Lucifer ortus aquis.* *De Pont. 2.*
Verane crediderim docti præconia Vatis,
Et cœli rectè Signa notâſſe ſui?
An noſtro ſæclo ſacros variantia motus
Non ſoliti peragunt aſtra tenoris iter?
Sic eſt: Nuper enim radiantia lumina ſpargens
Fulſit ab Heſperijs Luciſer ortus aquis.
Triſtes O Princeps, te diſcedente, tenebræ
Perpetuum nobis eripuere diem.
Te redeunte ſimul rediêrunt luxq; dieſq;
Et quicquid mœſtos exhilarare ſolet.
Semper ab Hiſpanis redeas huc Phoſphorus oris,
Per terras longum ſeu mare carpis iter.

Tho. Merriot, LL. Bacc. Novi Coll. Soc.

IAm famulis Cœlo, & Vento, niueæq; Columbæ
Credimus obſequio; & quicquid mirabile nobis
Fama tulit: jam, ſi qua poteſt, miracula fingat
Securus Vates: minor eſt, quamcunq; loquetur,
Impoſtura fide: Namq; ecce, Britannia ſenſit,
CAROLE, te Cœlo Curam, ſuperiſq; fuiſſe
Delicias, magniſq; futura in tempora rebus
Servatum: Prôh qualis erit, quem nulla pericla
Frege runt? nec flex êrunt de tramite recti
Blanditiæ obliquæ: quem non horrenda Pyrenes
Terruerat facies; ſcopuliq; & luſtra ferarum,
Nec Tarteſſiacos exurens Scirius agros:
Invictum Sitis, atq; æſtus: Patriæq;, ſibiq;
Conſtantem: fidumq; Deo, puræq; tenacem
Cultorem fidei: prudenti pectore rebus
Imperij, arcaniſq; parem: molimina Regni
Callentem: Nec enim ſucceſſus mente ſupinâ
Expectat, facit ipſe ſuos: & temporis omnes
Articulos captat: Caſto qui indulſit Amori

Iudicio

Iudicio, non affectu: dumq; arserat Ignis
Sanus erat, composq; sui: Quàm fronte serenâ
Æquoris excepit Casum? plureſq; subiisset,
Ni Patriæ vetuisset amor: sed parcere nobis
Expedijt, patriæq; suam donare salutem.
Non aliter potuit si ostendi CAROLVS orbi,
Præluſitq; suis durà hac virtute triumphis,
Iam mala tanta placent: Pelagi jam absoluimus iras,
Syluarumq; minas, & fecit Iberia gratum,
Virtuti teneros quæ aptauit Principis annos.

Griffinus Higgs Art. Mag. & Coll Mert. Soc.

NVm Reducem, Natumne loquor? si gaudia pendas
Esse magis cœpit, quàm redijsse, putes.
Si populi vultum spectes, epulasq;, jocosq;
Euœ, natalem quis neget esse diem?
Nascitur, haud redijt: nam tanta pericula cuiquam
Si sufferre velit, non superare datur.
Scotia jam jactes CAROLI cunabula; at audi;
Natales ipsos Anglia prima videt.

Rich. Steward Mag. Art. & Coll. Om. Anim.

ADest. nec iterum Fama mentiri procax
Audet. Salutem Terra de Portu suo
Tonuit Britanna, reddidit Calpe sonos,
Et invidenti Bœtis infremuit vado.
Meraciorem prodigâ Clio manu
Prome Hippocrenen; si tamen quisquam novum
Furoris œstrum post Deum reducem sitit.
Vidit reuersum CAROLVM & festum dedit
Niveis renidens Albion scopulis diem.
Tunc ora laxans cupida geniali potens
Animantis hausit oculi nectar sinu.
Demisit Arbor frondium decus (modò

Inane mœsti Climatis solatium)
Venerata reducis sideris felix jubar
Phœbus recessit, & calescentem suo
Pigri Bootæ sole deseruit pedem.
Frustra minatur hyems vbi proprio micat
Splendore CAROLVS, integroq; Numine
Totus IACOBVS; nec subeat Vrsam Anglia
Quantùm Leonem, regiam qui dum jubam
Rotat, malignum nemo falciferi Senis
Frigus timebit, atq; vitiatum Iovem.

Ioannes More, in Art. Mag. Nov. Coll. Soc.

In auspicatissimum C. P. reditum ex Hispaniâ,
P. Virgilii Maronis *(mortui 1658 abhinc annis) versus Posthumi.*

Rex IACOBVS ad CAROLVM Filium.

Æneid. lib. 6°.

VEnisti tandem, tuaq; expectata Parenti
Vicit iter durum pietas: datur ora tueri
Nate tua, & notas audire, & reddere voces.
Sic equidem ducebam animo, rebarq; futurũ,
Tempora dinumerans, nec me mea cura fefellit.
Quas ego te Terras, & quanta per æquora vectum
Accipio? quantis iactatum nate periclis?

O quantum in vivos præsentia Principis egit;
Cùm reditum illius Musa sepulta canat.

Tho. Philpot. Art. Mag. Novi Coll. Soc.

INfesta Hispanis febris ferventior Oris,
Sed gravius nobis frigiditate malum:
Donec tu nostri cordis calor artubus istis
Abfueras, quis nos posse valere putes?

Nec

Non adeò incolumis tu noſtris redditus oris,
Quàm reditus ſanos nos facit iſte tuus;
Tu magis urentes Soles perferre, ſed Angli
Non poterant frigus ſuſtinuiſſe tuum.

Tho. Holt. Coll. Magd. Soc.
in Art. Mag.

ANglus & Hiſpanus re contrahit, anxius hæret
Orbis, dùm quæ ſit mens utriuſq; ſciat.
Candida mens Angli eſt, ſummam deponere Gemmam:
Mens fida Hiſpani, reddere Depoſitum.
Se, quod adibat eam Princeps, Hiſpania debet:
Et ſe, quod redit huc, Anglia debet ei.
Quòd res facta fuit, debetur (ut omnia) Regi;
Quòd fuit, incolumi Principe, facta, Duci.

Tho. Luſhington Art. Mag. ex Aul.
Late-Port.

AXe ſub Heſperio rutili ſunt paſcua Phœbi
Quolibet huc feſſos veſpere flectit equos.
Hinc ruit Oceano piceis Nox obſita pennis,
Pulloq; umbrarum tegmine veſtit humum.
Mox ubi ab integro cœlo ſe oſtentat Eoo,
Omnia luce novâ candidiora fluunt:
Sic procul à Patriâ, dum celſa *Madritia* in oris
Floruit *Heſperijs* luce beata tuâ,
Longa nimis *minima contentos Nocte Britannos*
Preſſit Nox, ſqualor languidus, acris Hyems.
Lampade ſed reduci cùm jam luſtraveris Anglos,
Tempora labentur proſperiore rotâ.

Tho. Wiſe in Art. Mag. è Coll. Magd.

CAROLVS REDUX.

Ad ſereniſſimum Principem, de eius comitatu.

NE maris & terræ diſcrimina ſolus obires,
CAROLE conſultum eſt à Patre, Magne, tuo,
Te comitabantur gener & ſocer agmine junctо,
Ille tibi eſt factus Dux, Comes ille viæ.

Roulandus Cheadle, Art. Mag. Coll. Ieſ. Soc.

EN Polus emerſit, rediviva Britannia; Lydus
Nec Thetis occultet, nec meteora tuum.
Alpibus undarum montes; cœloq; minentur
Æquora; Neptuno fortè ſuperba novo.
Iratos metuis fluctus? premit æquora Cæſar;
Nec ſubit occiduas Stella Polaris aquas.

I. Howells. Art. Mag. Coll. Ieſ. Soc.

ALma dies, feſtis lux annumeranda diebus,
Faſtorum æternâ nobilitanda fide,
Quâ reducem primâ CAROLVM Brittannica tellus
Aſpexit, Patriæ gaudia ſpeſq; ſuæ:
Quis te pro meritis celebret lux alma? refulſit
Nobis hæc læto lumine prima dies
Poſt abitum, fate Rege, tuum, cùm publicus ivit
Rumor, Iberiacum te petiiſſe ſolum.
Non ſic Penelope viſa eſt mora longa mariti,
Abfuit à Patriâ qui duo luſtra vagus;
Vt tua Brutigenis abſentia longa Britannis
Viſa eſt; ut reditûs tempora tarda tui.
Heu miſeri quæ non timuere pericula! quantus
Multa revolventis pectoris æſtus erat!
Parce, Pater Patriæ, populo vel tuta timenti:
Hic timor ardentis pignus amoris erat,

Nunc

CAROLVS REDUX.

Nunc timuisse iuvat: sunt ipsa pericula tanti,
Et populo res est utilis, & CAROLO.
Quanta foret populi pietas nescisset: et absens
Agnovit. *Virtus maxima nôsse suos.*
Quàm tuâ chara Deo, Princeps, sit vita, salusq;,
Nesciret populus, ni timuisset, adhuc.
Quis dubitet magnis per toe discrimina rebus
Servatum, summo sata regente Deo?
Viveret hoc ævo sacris sine turba profanis;
Sospite te, magnum crederet esse Deum.
Huic igitur luci cedat natalis honore:
Infantem illa dedit: reddidit iste virum.

Marium Casaubonum ex Æde Christi
Mag. Art.

PRo reditu ecce tuo cumulavimus ignibus ignes,
Struximus insolitas (te redeunte) pyras.
Nos quoq; flâma sumus; non solùm ligna, sed ipsos
Nos etiam incendis fervido amore tui.

M. Turner in Art. Mag. Late-port.

QVò magis acceleret reditum, nova CAROLVS Argo
Ipse fit, ac Idem, Nâvita, Vellus, erat.
Quis Typhis? pia mens. Primores? Principe digni
Mores. Quis ventus? Cardio-pneuma Deus.
Magnes? tuta *Fides*, in pyxide, pectore; tutas
Ista dedit *Pyxis non variata* vias.

Ad Principem.

In Boreâ *Plaustrum*; Tibi in Austro ponimus *Argo*,
Te dedit hic *Terrâ*; reddidit ille *Mari*.

Rog. Prichard, Art. Mag. Coll. Jes. Soc.

Musa

CAROLVS REDUX.

MVſa tibi reduci calamos, dat Curia linguas:
Sincerum pectus Curia, Muſa, damus.

Rob. Rainsford, Art. Mag. è Coll. Wadh.

SIc Te ſubducis furtim (ſuaviſſime Princeps)
Et perſonatus regna Britanna fugis?
Nos, non Te, furto regali ſurripuiſti,
Totius poſt Te corda trahens populi.
Dijs grates! votis tandem quòd reddere noſtris,
Et populo rurſus præda beata venis!

Ioannes English, Soc. Coll. de Baliolo, in Art. Mag.

PRincipe plebs minor eſt, minor eſt ut Numine Princeps;
Principis illa ſubeſt legibus, ille Dei.
Principibus totus curæ eſt populus, magis illos
Candida ſupremi protegit ala Dei;
Quàm ſit quiſq; domi tutus ſub rege IACOBO,
Pax firma, & Iani limina clauſa docent.
Quàmq; foris fuerit ſub ſummo Numine Princeps
Securus, docuit CAROLVS ipſe Redux.

Omen habe (Princeps) terræq; marisq; ſubacti,
Cui mare, cui tellus, tam citò præſtat iter.

Iohan. Goodwin Art. Mag. ex Ædc Chriſti.

EN, te vox; te turba virûm; te flamma ſalutat,
Χαῖρε, ſonat Populus; χαῖρε, Platea ſonat.
Nec plures lucent urbis; quàm pectoris Arx,
Ignis; amor regni; ſingula corda faces.

Nos

Non fluctus; non ista nocent Incendia: Nempe
Salvus es è flammis (CAROLE) salvus aquis,

Ed. Burton in Art. Mag. Coll.
Magd. Soc.

EN Reducem CAROLVM. Pejoris murmura famæ
Castigata silent; Crimen, falsiq; timoris
Surgentes lemures nobis condonet Iberus.
Hospes ad Hispanos adiit: sed ut incola, tutus
Intravit: patriæq; suæ pietate receptus,
Credit in Hesperiam proprios migrasse Britannos.
Extera securus lætusq; per oppida transit,
Et genio gaudente loci. nova Numina sentit,
Insolitumq; Ducum miratur Iberia pondus.
Herculeæ arcano motæ terrore Columnæ
Alcidem venisse putant; & credit ab Vmbris
Asdrubalem rediisse suum *Carthago* parentem.
Tunc primùm æquoreas Tagus aureus ibat ad vndas
Divitiasq; suæ CAROLO donabat arenæ.
Tunc tota Hesperia unum ingens est facta theatrum
Lætitiæ; & celebrant *Carolo* spectante triumphos.

R. H. Art. Mag. CCC.

De Principis redeuntis appulsu in Insulam Scyllam.

QVòd cordi *Maria*, ut primùm tibi (CAROLE) sensit
Neptunus, ac si Maria perdiderat sua,
Infremuit; cunctas remorasq; ferâsq; marinas,
Aliaq; quæ Te perderent cunq; advocat.
Indè repentinos illos quos videris æstus,
Fluctusq; decimos quosq;. vel decimis pares,
Inde omnes qui Te reducem petière dolores
Agnoste; talis tam ferox zelotypia est.
Libatum interea; ac de Te consultus Apollo:

Dubium ſed hoc, quodcunq; reſponſum dedit.
Incidat in Scyllam ut poſſit vitare Charybdin,
Sic plena Phœbo Pythia, ſic retulit Deus.
Nec citiùs retulit, quàm, quæ tumuêre reſidunt
Æquora, ſuuſq; redit Oceano decor.
Pugnaces (quorum rariſſima gratia) venti
Tacuêre, nexu cuncta fraterno ſilent.
Nunc igitur fixæ longo quæ tempore naves,
Movere placido quæq; cepêrunt freto:
Ac reditus tandem patuit tibi molliter Auſtro
Afflante, totâ quâ vehi cuperes viâ.
Sed monſtrante deo eveniant tibi cuncta neceſſe eſt,
Et fata curſum immotâ perpetuant ſuum.
Ergò erat ad placidam quòd *Scyllæ* adveneris oram,
Quòd illa primos inſula amplexus dedit.
Errorem, hæc inter, didicit Neptunus, & omnem
Monſtrante Thetide mentis agnovit dolum.
Per Styga, per ſuperos iurat, pro talibus auſis,
Servire voto (CAROLE) æternùm tuo.
Inſuper æternum *Maria* ut tua florida, regnum
Sua tueantur Maria perpetuò tuum.

Ambr. Powell Bacc. Theol. Coll. Magd. Soc.

CVr feſtinus abit Princeps, cur tardior adſit?
Nec pariſi à Nobis itq; reditq; gradu?
An quia diverſa eſt via Ducens atq; Reducens?
Scanditur aut Oriens impediente Polo?
Anne Potens mundi curſum accelerabat euntis,
Invidet at Reditus, aut minus hiſce favet?
Anne Patrem CAROLVS, Patriamq; & ſceptra Britannæ,
Aut repetit nolens, aut fugit Illa libens?
Scilicet in cauſâ eſt virtus telluris Iberæ:
Quæ blandè attrahere, & tracta tenere poteſt;
Nempè illíc Centrum, & Magnes, & Regia Virgo;
Quæ, Natura, ſequi: quæ fugitare, Labor.

I. F. in Art. Mag. è Coll. Magd.

CAROLVS REDVX.

ECce ſalutatum te tota Academia prodit,
Et properat reditum plaudere quiſq; tuum.
Non opus eſt ſacras nobis orare Camænas,
Adventu factus quiſq; Poeta tuo eſt.
Noluit Hiſpanus te gaudia noſtra morari,
Æquoreus timuit te revocare Deus.
Sic ades ô noſtri ſpes unica, CAROLE: ſaltem
Hunc faciant Feſtum gaudia noſtra diem.

Richardus Myllet Art. Mag. ex Æde Chriſti.

CErnimus Heſperios noſtra inter gaudia luctus
CAROLE! & irriguos toto de littore vultus
Spectamus, multumq; pios laudare dolores
Invidiâ ceſſante juvat: dum rupibus hærent,
Et tua ſollicito comitantur carbaſa voto.
Mitiùs occidui proſternunt æquora venti,
Orati precibus cognatæ gentis, & alta
Deſuper impletis decurvant robora velis.
Iam fugis, & claſſem via fert longinqua minorem:
Stant in rupe tamen, dedignatiq; reverti,
Emiſſas revocant crebris ſingultibus auras.
Interea dum nos diverſo in littore flemus,
It geminos gracili ligno complexa timores
Vna ratis: ventis jam tum lætata ſecundis
Plebs tua, feſtino venientia gaudia voto
Occupat, & longâ fruitur pietate: ſed inflat,
Et noſtris Zephyrus claſſem citus applicat oris.
Nec mirum eſt celeri naues properâſſe volatu,
Quæ tua tergeminas gererent inſignia plumas.

Guilielm. Price, Mag. Art. ex Æde Chriſti,
& Moral. Philoſ. Profeſſor ex inſtitut.
Doct. WHITE.

CAROLVS REDVX.

Apostrophe ad Britanniam, Principis absentiam nimis sollicitè lugentem.

IAm satis indomito nimiùmq;, Britannia, luctu
Dedecoras malefida genas, nimis omine tristi,
Sollicitis CAROLVM sequeris sine fine querelis.
Nunquid adhuc scopulos metuis, tumidásq; procellas,
Difficilésq; viarum aditus, hostésq; , dolósq; ?
Sollicita es frustra, & vanis nimis anxia curis.
Ecce triumphanti fertur pede, & omine Princeps,
Nec vim, nec fraudes metuit, nec louga viarum
Tædia; subsidunt montes, salebrosáq; longè
Littora planities fiunt, & amœnus eunti
Gressus vbiq; datur. Fausto dein sydere nauem
Conscendit, lætúsq; vocat jam carbasus auras.
Ecce iterum tumidas Neptunus corripit vndas,
Inq; suâ vetat Æolides dominarier aulâ.
Scilicet Æneâ major jam nauigat, & qui
Imperium cum Neptuno partitur aquarum.
Non igitur celeri transis vada falsa carinâ,
Sed propriis remoratur aquis, atq; æquora lustrat.
Hic videt instructas varia ad commercia naues,
Quæq; nouas repetere vias ad lucra laborant;
Hic fluitante senex cymbâ, prope littora, summis
Ludit aquis, piscésq; occulto decipit hamo;
Hic sæuæ dominorum iris, sera prælia miscent
Hostiles classes; volat ignis vtrinq;, rubescit
Sanguine cæsorum pelagus, jamq; vndiq; crebro
Vulnere multa cadunt inhumata cadauera ponto.
At memor humanæ sortis mitissimus heros,
Sistit, & vlteriùs tantos vetat ire furores;
Euocat inde duces, & atrocia pectora mulcens,
* Ponere amicè iras jubet, & conjungere dextras.
Tandem plena libet committere carbasa ventis.
Ardet enim natale solum, patriósq; penates
Visere, jámq; procul surgentia littora cernit.

* *Prælium nauale inter Belgas & Hispanos Princeps interueniens dirimit.*

Accelerat

Accelerat, notúmq;, brevi pòst tempore, portum
Intrat, & optatâ lætus consistit arenâ.
Discessu gemit oceanus, mœstæq; recedunt
Nereïdes, leuis vnda sequi conamine multo
Tentat, & irriguis fessa littora fluctibus vrget.
Semper terra repellit, at illa refracta minutas
Decidit in lachrymas, tantóq; insanâ dolore,
Horrendùm fremit, & caput inter saxa recondit.
Ille salutantes hinc illinc excipit Anglos,
Et gestit patrios iterum spectare colonos.
Nunquid adhuc superesse potest tibi causa doloris?
Aut malè turbet adhuc cuiquam ruga improba frontem?
Totos pande sinus, lætóq;, Britannia, nexu
Amplexare tuum CAROLVM, quo sospite non est
Desperare tuam fas, aut dubitare salutem.
Seriùs ô cœlum repetat lux nostra, diúq;
Interfit nobis; ista hæc vt sæcula nostri
Cùm recolent posthàc, optent rediviua, nepotes.

Dan. Eastcot, in Art. Mag. Coll. Wadh. Socius.

EN voluenda dies Augusto Principe fastos
Signauit meliore notâ, *Caroloq*, reverso.
Importuna suæ siluêrunt murmura linguæ.
Nos, viles animæ solâ, pietate nocentes,
Conquesti sumus exiguæ commissa carinæ
Vota orbis, quòd jam miseri spes irrita mundi;
Quòd tot adoratum populis caput, ipse salutis
Prodigus auderes in prona pericula mortis
Permisisse mari; cunctis fortuna relictis
Sola comes placuit: cùm à te tot millia pendent,
Sævitiâ est voluisse mori. Sic numen adisti,
Non mundi ut rector, sed felix naufragus esses?
Sic inopes animi, teq; & tua fata querelis
Pressimus ingratis: tacito indignatio luctu
Dedidicit privata loqui. Verùm addita regum

Consilia illictum est exquirere: gloria nobis
Sufficit obsequij & venerari nomina sacra.
Te redijsse parùm est lætari, Maxime Princeps;
Dicite Io Musæ, canet Pæana Thalia:
Qui stupuit magis ille pius, magis ille poëta,
Quàm cui posse vacat tam lætis carmina rebus
Pangere: at elinguis ducet mea Musa triumphum.
Humanus fiet affectus, tùm pectore toto
Funditur; atque atque ingeminans dic Psittace, Χαῖρε.

Ro. Wright è Coll. Merton in Art. Bacc.

COngerite fasces struite signorum pyras,
Totúsq; largâ fulgeat vicus face,
Stellentur vrbes singulæ flammis suis,
Trabésq; et ipsa tigna conferte in focum.
Campana festos multa proclamet sonos,
Funes strepentes brachium vexet frequens.
Nostram apparatus iste pietatem dicet,
Simplex, & hilaris iste, vernaclus, probus,
Extemporale gaudium quicquid jubet.
Te sumptuosis mulceat ludis licet
Hispana tellus, illa meditatos tibi
Paret triumphos, pompam vt ostendat suam:
Nos tantùm amorem cupimus: haud nobis vacat
Rude expolire gaudium, & moram pati
Cunctantioris ingeni; subitum damus,
Erumpit importuna lætitia, & sonum
Ingeminat vnum, CAROLVS Princeps redit,
Reuisit Anglos CAROLVS Princeps suos.
Spectetis, Ipse est. Densa jam premit vias
Avida videndi turba, scintillat frequens
Oculis fenestra; quin & ancipiti pede
Crepidines hic scandit, & Magnæ Domûs
Proclive culmen. Quisq; nunc epulum suo
Oculo voraci præbet, haud satiat tamen.

Spe-

Spectetis; ipse est, jam nec obscurat genas,
Dubiosq; vultus artifex tegit coma;
Sed clarus, & noscendus, & facie suâ,
Stat liberalis iam sui, & largus manu.
Secede tandem Turba! sat vobis datum,
Sat impedistis, iam suam pergat viam
Ad Aulam; ubi illum charior manet sinus,
Et prole tantâ digna Maiestas Patris.
Quàm dulce collo pondus incumbet tuo?
Quàm differêre amplexibus? quantùm hic modò
Flebitq;, spectabitq;? Quis strepitus exit
Tumultuantis gaudij? Quàm nunc putem
Aureſq; & animos ore pendentes tuo?
Dum propriam nunc ipse commemores viam,
Iterq; quicquid vidit, aut fecit novum,
Probasq; populi vota, confutas metus,
Et quanta fueras cura fortunæ refers,
Quàmq; innocentes suspicabamur Deos,
Quàm mitis unda, quàm tibi stratum mare,
Levis Pyrene, comis Hispanus fuit,
Quodcunq; de Te fama narravit loquax,
Quodcunq; finxit. Parce trepidanti Angliæ,
Quisquis severus Patriæ es censor nimis.
Hunc charitas creavit, hunc fides metum,
Nec curiosa nostra, sollicita fuit.
Ceu mater alma filium emittens suum,
Omnes susurros captat & cudit sibi
Quod portò metuat, ipsum & hoc pavet procul,
Et quicquid oculos lateat, haud tutum putat.
Nunc si quid olim vota suggererent boni,
Speràsse gaudet, sive quid dubius timor
Offendit, hic erràsse vel gaudet magis,
Spectaculo jam tota perfruitur suo,
Tantóq; fidos pignore absolvit Deos.

Io. Earles Coll. Merton. Soc.

CAROLVS REDVX.

QVàm varia eſt cœli facies, quàm dividit uni
Sors utramq; manum: ſævit, ridetq; poteſtas.
Exarmata quies facilem conjurat eunti
Neptunum, faciles ſpirabat & Æolus auras,
Dum properat FAMVLVS, juſſit, juſſoſq; ſilere
Sulcat inoffenſos tacito ſub remige fluctus
Inceſſum furata ratis: Sed militat Æther
Cùm reducem ſpectet CAROLVM, famuliq; relictas
Nominis exuvias: Sic ipſis numina fatis
Volvuntur: Sic ipſe ſuis jactatur in undis
Æneas Dido fugiens: Sic ipſa *Leandrum*,
Hero perdebat crudeli fœdere victum.
Non fuit hoc ſævæ *Thetidis*; quæ talia fecit,
Tempeſtas pretioſa fuit: quàm certus in aſtris
Error: quàm fidè ventus luditq; procellis
Innocuis terrens: cœli diſſenſus honeſtus,
Et gravior conſenſus erat: Dictare recuſant
Stantia vela Deum: Sunt ipſa pericula tanti
Imperii: didicitq; malis clarescere fatis.

Edwardus Croke Art. Bac. Ædis Chriſti Alumnus.

Ἀκροστιχὶς.

CHara deũ ſoboles, Princeps celeberrime, done C
ApAtriâ deeras, atque Anglis, omni Amœſt A,
RexRomius calices nolebat tãgere Recto R
Orbis ſydereO vix vix gaudebat Olymp O;
Lumina Pleiades Liquerunt, Lucidus & So L
Vmbrâ tectus erat, dVm tV (ſol fulgide) mot V
Splẽdeſcente tuo, propriâ Sphæràque careba S.
Reddis at illuſtris Radios Rediens; neq; fulgo R
Exſtingui valE at: tua, tE Brittannia, Phœb F,
Divinum creDit, ſparſim ra Diare (nec iſtu D
Immer Ità) putat, aſtriferis cæl Iſque locar I.
Iſti In tberiacas oras, ſyduſque red Iſt I
Tu boreale nitens, omnis Brittannia plauda T.

A. Dyer, ex Aula Cerv. A.B.

CAROLVS REDUX.

DEsine mendaci reditu spes fallere, fama,
Gaudia sollicito spargere plena metu.
Non opus est populo falsos imponere plausus,
Vidit & agnovit Principis ora sui.
Cõmendant reducem perfuncta pericla, triumphũ
Nobilitant, populo tam metuenda suo.
Anxia vota tuas decuêrunt, Anglia, curas,
Cùm foret insano, spes tua iacta, freto.
Fluctuet aut humili, Neptuno veste, clienti,
Ignotus, pelago subditus ipse suo.
Sive inconstantis festinus transeat arva
Galli, suspecto tardior ille dolo.
Seu lentè Hispanas superâret anhelus arenas,
Et multo tardum Sole queratur iter.
Sive emensus iter, proprio fulgore resumpto,
Emineat Princeps, invidiæ propior.
Sive per Oceanum suspensus inhæreat undis,
Fidat & incertis, ne moriatur, aquis.
Debeat & ventis, saxóq; obnoxius omni,
Vt redeat, populi gloria, spesq; sui.
Vicisti, & quicquid populi timuêre, rependis,
Quemq; prius proni deperiêre, colunt.
Sic totum vicisse tuum est, victoria nostra,
Debentur nobis gaudia, palma tibi,

Guilielmus Pierce Ædis Christi Art. Bac.

VSq; adeò in versus? nec iam exultare vacabit,
Nec sine cessanti carmine flere licet?
Seu redeas, vel eas, Musis ob utrumq; litamus;
Et solùm pietas ingeniosa placet.
Ast ego sutilibus non dono gaudia chartis;
Censeri bonus hâc nec brevitate velim.
Vt Princeps abeat, non tanti est esse Poetam:
Vt veniat, tanti vel stupuisse decet.

L. Hinton, Coll. Mert. Soc.

NE lege, cui ſtudium eſt complecti plurima paucis,
Scribo ego, dum ſcribo *Gratulor*, Iliadas.

T. Clauer in Art. Bacc. ex
Aulâ Edmundi.

In profectionem & reditum Principis.

QVæritur, *ignotus* quorſum diſceſſit ab Anglis
Princeps, cùm reditûs *publica* fama fuit?
In promptu cauſa eſt, voluit minus indè doloris,
Hinc voluit populo gaudia plura ſuo.

Th. Lancaſter in Art. Bac. è Coll. Reg.

BEllerophontæus meruitne, & portitor Helles,
Vt niteant celſi lucida ſigna Poli?
Tum, ſi pro meritis referatur gratia, veſtram
Inter clara ratem ſydera ſcribat *Atlas*.

Io. Nevey in Art. Bacc. Novi Coll. Soc.

MVſa files? edant lætum tua carmina pectus:
Fidunt geſta magis gaudia: neutra ſatis.
Si, niſi quæ poterunt lætum ſatis edere pectus,
Carmina nulla forent, carmina nulla forent.

Tho. Prayford Art. Bacc. è Coll. Bal.

NVnc iuvat abſentem quòd te modò CAROLE, noſtris
Suſtulimus ſtudiis, carminibuſq; ſequi.
Atq; quòd obiiciat non iam foret æmulus: Ex quo
Redderis, & gratum ſic abiiſſe fuit.
Profuit hoc cœptis non defeciſſe: fuiſſet
Ignorare malum quàm ſuperâſſe minus.
Quandò peregrinum placidè Fortuna reponit,

Ceu

Ceu conducta domi, tam leue sordet iter.
Gloria sola via est, fecisse per ardua tractus:
Atq; tibi Princeps, hoc rediisse fuit.

Ge: Griffith ex Æde Christi Art. Bacc.

QVid sibi vult Verno te deseruisse Tepore?
Frigore Brumali quid repetisse Tuos?
Scilicet ut doceas quantùm Præsentia possit
Principis,? Hoc nobis Ver, fuit illud Hyems.

In reditum Pleni-lunium.

Cur non & reditum Sol, qui Comitatus Euntem est?
Scilicet æquoreas Luna regebat aquas?
Latmius excusso poterit iam surgere somno,
Venit in amplexus Cynthia Tota novos.

Anag. { STEVARTVS.
TVTVS ERAS.

Quòd neq; Terra ferox violare nec auserit Vnda,
Nominis Auspiciis, CAROLE TVTVS ERAS.
O quantum Humanos moveat Præsentia Mentes,
Cùm tangat Nomen muta Elementa Tuum!

Guilielmus Smker, Coll. Nov. Soc.

QVòd primùm CAROLI mendax tum fama reversi
Præcipitem falso luserat ore fidem;
Mentem illi debes Britannia: namq; parabat
Lætitiæ pectus prouida Diua tuum.
Vix tibi te sicti permisit imago triumphi,
Verus in incautam quid valiturus erat?

Ric. Biggs in Art. Bac. & Nov. Coll. Soc.

VAdas Muſa, licet, tuæq; proles
Securo grege Curiam ſalutes.
Sic eſt: Fabula non erit, nec auræ
Mandabis ſimulachra mentienti.
Suffragabitur Ipſe geſtienti.
Vocem ſoluere, & omne pectus ori
Applauſum fidei loquacis addet.
Sola hæc tempora vendicant Camænas
Noſtras, cùm reditum ferant, & ipſe
Succeſſus titulum libri coronet.

G. Abbott, Coll Mert. Soc.

COlchida cùm peteret, repetitum vellera, Iaſon,
Iaſone (ni fallor) vellera pluris erant.
CAROLE, ſi præſens patrios ditare penates
Digneris, multo vellere pluris eris.

Ioh. Blackwall, ex Aul. S. Edm. Art. Bac. Arm. Fil.

ANglia ſupremis quid jam potes addere votis?
Aut nimium faciles ſollicitare Deos?
CAROLVS en redijt! totum cum *Principe* Cœlum!
A noſtro nullum Numine numen abeſt.
Quin facis, vt lacrymæ doctas mutentur in vndas:
Sitq; Helicon, quicquid gutta doloris erat.
Cur non & *Noſtrum* reuehat quoq; *Pegaſus*! hujus
Nunc *Hippocrenen* vngula findat Equi.
En vt præcipites (nec fas inhibere *Camænas*)
Vltrò ſed in verſus gaudia tanta fluunt.
Nec pluteum tundit quiſquam, nec ſæuit in vngues:
Natura in Muſam jam ſatis ipſa valet.
CAROLVS incipiat modò, cætera ſponte ſequentur:
Nomine in hoc vno quiſq; diſertus erit.

Ioh. Tuxman, è Coll. Linc. Com. & in Art. Bac.

Fama

FAma refert (naues CAROLVS cum viſeret altas,
Anglia quas ipſum repetitum
Miſerat) exortos magno cum murmure ventos
Cœlum perturbaſſe fretumq;,
Et tenebras pariter noctiſq; hyemiſq; coortas
Aſtris inuidiſſe coruſcis
Tantum ſpectaclum. Sed quid? CAROLÓne putatis
Iratum pelagus fremuiſſe?
Hoc non credibile eſt: potiùs cenſete ſuperbum
Tanto onere intumuiſſe profundum.
Sed neq; credendum eſt, noctémue vllaſue tenebras
Te, Princeps, lucente, coortas:
Si qua fides etenim eſt, ex quo tua vidimus ora,
Nox exorta eſt nulla Britannis.

Guil. Pickering, è Coll. Trin. Art. Bac.

PRoſtituant Muſas, perdantq; in gaudia chartam
Quorum lætitiæ eſt chartula parua capax:
Quèis tanti fuerat CAROLO caruiſſe, poëſi
Et dicto ut poſſent non caruiſſe ſuo;
Quos priuata ciet non publica gloria; Charus
Non fuerat Princeps his, Epigramma fuit.
Me ſuppreſſa juvat pietas, atq; inſcia vocis,
Sed tamen hæc pietas Carminis inſtar habet.

Ed. Reynoldes Mert. Coll. Socius.

NOn ego bifrontis cupiam conſcendere collis
Ardua, nec Cirrhæa velim ſecreta mouentem
Sollicitare Deum. Pietas mihi plectra mouebit,
Maioreſq; dabunt in Carmina Gaudia vires.
Aſpice lætitijs teſtentur vt omnia miris
Princi; is aduentum, præſenti numine plena,
Clamat Io Populus, nec jam reſonabilis Echo
Publica vota refert, ſed præuenit, oraq; verbis

Dispolians passim disseminat, ipsaq; nouit
Gaudia, dum stupet, & gaudentes nesciat, Hospes;
Dum valles, dum saxa loqui miratur, & ipsa
Vincere Marmorei vocalia Memnonis ora.
Quæ modò vel statuâ taciturnior Anglia, nil jam
Non vocale tenet. Mirari define quisquis
Hæc videas; Orbata suo modò sole rigebat
Deliquiumq; graue est deserta Britannia passa.
Nunc iterum incaluit, solito splendore potita.
Eccè reuisit enim, quo nunquam Gratior alter,
Phœbus, & assueto, languentem, lumine fouit,
Quo primùm vt caruit, tenebris obducta jacebat,
Perpetuâ veluti Torpentem nocte videres,
Et mediâ duras hyemes æstate timentem.
Vt reducem audiuit, nec (vt antea) Fama fefellit,
Et testata nouum vidit spectacula mane,
Totos ecce sinus seu verrucaria pandit,
(Lætitiâ diffusa nouâ sub Principe saluo)
Quæ velut à Phœbo, sic hæc à Principe pendet,
Sic à Rege salus, à Principe gaudia nostra,
Viuat vterq; diù, sic gaudia nostra manebunt.

T. P. C.C.C. Art. Bac.

NOctu quantum oculi vident patentes,
Vt spirant Epileptici jacentes,
Sic, sic Anglia languido tenore
Dum *Stezartiaden* suum requirit,
Vixit nescia, quam trahebat, auræ.
Sic famæ strepitu leui tepescens
Sensim brachia mouit, & gradatim
Attollens humeros, & inde recta,
Prospexit reducem procul carinam:
Velis ocyor iuit aura famæ,
Et nullo referente, Fama dixit,
Dum grato properat placere vento.

Iam

Iam Cantor patulo propheta rictu
Prælum vaticinum foro refundit;
Nec ſolas modò nundini Thalias,
En ipſas rapuit fides Camænas!
Nec famæ furor hic, ſed eſt amoris.
Nunc ſcamnum populus, trabes, Cathedras,
Menſas, ignibus immolant jocoſis:
Nunc ignem liquidum, cados ſeniles
Merſi gurgite Bætico propinant:
En vino creat Ecſtaſin ſecundam
Et Prætor modò, cæteræq; barbæ.
Hæc mendax potuit mouere fama,
Quæ ficto populum citauit ore,
Ne non gaudia Vera ſuſtineret.
Omni mox animis cadente turbâ,
Portant gaudia nuntij recentes;
Promiſſis bona tanta protrahuntur,
Et fiunt noua ſingulis diebus.
Vnus, quatuor, inde tres, duoq;
Sicco gutture concidunt anheli;
Ægrè hoc dicere ſuſtinentq; *Principes*.
Vidit, jam ſatis eſt, Britannus orbis,
Vidit quem colit, oſculoq; tellus
Iam plantas terit, & manum popellus.
Voces innumeræ rotam ſequuntur;
Hinc texto juvenis ſuperbus auro,
Illinc fæmina purpurâ coruſcans
Quanto lautior, acrius paludem
Quærit, quâ reſidens humi precetur,
Vt byſſum maculis lutum decoris
Immutet pietatis ad colorem.
Hæres jam patrui miſellus auro,
Expreſſa ſatagit madere guttâ,
Vt ditem lachrymis honeſtet vrnam;
Fruſtra compoſitum evocare vocem
Tentat, lætitiæq; lenis æſtus

Attacta

Attactu mouet improbo cachinnum.
Iam risus viduæ genam madentem
Vernans aduena denuò salutat;
Et nemo miser est in orbe toto.
Qui palpat tremulâ manu columnas,
Et mendax gerit uvido fluore
Depastos oculos, dolum impotentem
Viso Principe temperare nescit.
Qui nixu malè remigantis alæ
Iactat pendula scipione membra,
Et supplet pede ligneo reuincti
Cruris fragmina, fascijs solutis,
Vires suscitat, ambulatq; solus.
Qui gibbos simulat luemq; putrem,
(Qualem credere quàm videre malis)
Artis proditor aduolat dolosæ.
Qui surdum simulat, rotam sonantem
Non audire nequit. Volumen oris
Qui linguâ rotat acer impeditâ,
Effari semel audet, Ecce Princeps.
Hæc quisquis videt, ocyùs fatetur
Virtutis modò venulam Paternæ
Tractu sanguinis ire CAROLINI;
Qui non vlcera sola vincit auro,
Sed vultu magis aureo medetur
Tot membris, oculis, & aure captis.

Guil. Strode, Art. Bac. ex Ædc Christi.

De Ferijs Oxonienſibus, ad reditum Principis *inſtitutis.*

QVòd ludunt Musæ, quòd linguæ prælia ceſſant,
Oxonij hæc pietas ingenioſa fuit.
Nam mutilata litant & adultera gaudia, quorum
Non reduci CAROLO pectora tota vacant.

CAROLVS REDUX.

In pyras ad illius reditum extructas.

Carmina flamma dedit; fiunt emblemata nobis,
Vndique ludentes ingeniosa, pyræ.
Nonnè fovent ignem cineres, vt flamma triumphet
Clarior? hoc tumulo luxq; calorq; viget.
Sic nos mœsta tui nutrivit cura recessus,
Vt sint ad reditum gaudia plena tuum.
Anglia tam festum lucrari sæpè dolorem
Gestit; iterq; tuum sic doluisse juvat.

Pet. Apsley *Equitis Aur. fil. primog.*
ex Æde Christi. Art. Bacc.

Ad *Regem* & *Principem* se mutuò amplexantes.

AVguste *Cæsar*, tuq; fili *Cæsaris*,
Quàm vos beati mutuis amplexibus!
Miraculum orbis *Cæsarem Princeps* tenes:
Miraculum orbis CAROLVM *Cæsar* tenes,
Nisi maius ipse, maximam miraculum.
Pater oscularе *filium*, *fili patrem*.
Sed post trecenta, & mille, & ampliùs oscula,
Non hæc satis? Mille altera & vobis lubens
Indulgeo: deinde & mihi *Princeps* vacet.
Labra oscularі pruriunt reduces manus.
Quò jure quæritis? metus, suspiria,
Vnà & dolores passus, & quicquid mali,
Et *gaudiorum* vendico partem mihi.

Guilielmus Killegrew Equitis aurat.
fil. nat. max. *Ioannensis*.

NVllum adeò ingenium sterile est, vel barbara Musa,
Cui non materiem gaudia tanta darent.
Hesperiam, *Princeps*, alienumq; æthera, tardo,
Ast fortunato, CAROLVS exit equo.

Et postquam mores multorum vidit, & vrbes,
Spe maior, famâ clarior, en redijt.
Quiq; comes secum fidissimus exijt, & dux,
Maximus, ac meritò, Dux redit ille Comes.
Hæc inter tantam cecinit mea Musa catervam,
Quâ doctæ magis, haud lætior vna, canunt.

Fra. Godolphin, Equit. Aur. fil. nat. max. è Coll. Exon.

Chronagramma { haVD Ita te aMIsso LVget HIspanIa,
VtI repossesso pIa gestIt AngLIa.

Insolita Angligenas admittere gaudia mentes,
Hesperiam mœstos cogis inire modos.

Sidney Godolphin Equitis aurati filius, è Coll. Exon.

DVm sulco, *Princeps*, te circuit vnda tenaci,
Non hæc tempestas, ludus Amoris erat.
Immani dorso dum lambunt sydera fluctus,
Pondere tam sacro limpha superba tumet:
Dum patulo rursus subsidunt æquora fundo,
Vultus Regales vnda modesta colit.
Dum saluas bibulâ plantas deponis arenâ,
Fluctibus excipiunt lumina mille nouis.
Tu quamvis famulum fugias in littore Pontum,
Insequitur passus hûc tamen ille tuos.
Et quoniam dat jura Pater terræq; mariq;,
Cum terrâ partem diuidit vnda suam.

Guil. Pennyman Arm. fil. nat. max. *Ædis Christ. Com.*

SIccine miramur linquentem regna Tonantem,
Permutasse solum cœlo, Iunone relictâ,
Et personatâ mundum iustrasse figurâ?

Fa-

Fabula quin ceſſet vatum miranda videri.
Scilicet Anglorum falſâ ſub imagine Princeps
Auſus ad Herculeas fuerat penetrare columnas,
Angliam in Heſperiam portans, regniq; penates.
Quem ſimul vt patriâ ſenſit diſcedere terrâ,
Obduxit mæſtos ſquallore Britannia vultus,
Penelope abſentem nec ſic deflevit Vlyſſem.
Sæpè quidem populus pendens in littore, fixit
Se reducem ſpectare ratem: redeuntia ſæpè
Carbaſa cùm vidit, clamavit Principis eſſe:
Credidit & quoties ponto retinente morari,
Irrita crudeli fecit convitia Ponto.
Tandem te ventis, ventis velocior ipſis
Fama refert, varijs & tempeſtatibus actum.
Quod ſimul à ſummâ vt vidit rex Aeolus arce,
Talibus increpuit dictis atq; ora reſoluit:
Siccine vos vaſtos magno cum murmure fluctus
Tollere, & audetis fremitu perſtringere pontum,
Heſperium Princeps Britonûm cùm nauiget æquor?
Deſinite audaci nimium jactare tumultu:
Nec quem tanta manent, tali de Principe, clarum
Audeat indomitum pelagus ſperare triumphum.
Dixit, & æterno concluſit carcere ventos.
Mox tua ſecuro fertur, nec territa, curſu
Claſſis: jam veluti rediturо Principe lætus,
Squammiger æquoreis paſſim laſciuit in vndis
Delphinûm chorus, & ſenior Nereïdas inter
Apparet Glaucus, Phorciq; exercitus omnis.
Nec mora, te patriæ cernentem littora, *Magnus*
Excipit, excepto fit maior Principe, *Portus*.
Nunc & tormentis reſoni laquearia cœli
Quaſſa tremunt: noſtras audit jam Gallia voces
Lætitiæ teſtes: crebris micat ignibus æther,
Turbaq; per totas nuper diffuſa plateas
Iam coit: atq; tuos alij jam, CAROLE, longos
Errorum annales inſana per æquora narrant.

Pars autem ſumpto generoſi munere Bacchi,
Principe jam ſalvo, geſtit potare ſalutem.
Atq; aliquis forſan pullo veſtitus amictu,
Qui nuper gnati morientis clauſit ocellos,
Funereumq; rogum, & triſtes, nec dum celebratas
Deſerit exequias, lætuſq; accedit ad ignes.
Alter nodoſæ quem ſtrato pæna podagræ
Affixit lecto, vetuitq; excedere tectis,
Surgit, & ad medicas non confugit ampliùs artes.
Quid quòd & Autumnus reducem te, CAROLE, ſenſit?
Æmulus & verno ſplendori, fronte ſerenâ
Plus ſolitâ, & nitidâ luſtrauit lampade terras?
Quin tandem vultum ſpectemus ſemper eundem,
Heſperiam cujus gentem ſplendore ſuperbam
Feciſti, præſenſq; adfis, & læta videbit
Anglia perpetui fælicia tempora Veris.

Eſdræ Boothe, Nov. Coll. Soc.

SErò rupibus hoſpitem Britannis,
Duræ ſeriùs edidiſtis undæ:
Notæ ſunt Veneris retrò vocantis,
Et ponti reducem morantis, Artes,
Et ſpumæ nimis albicantis iræ.
Portus iam capit integros honores
Lætis faucibus, & patente rictu:
Iam victrix Scapha fecit innocentem
Pulmonem Boreæ ferocientis,
Calcatiſq; vagæ minis procellæ.
Tutis depoſitum revexit aliis:
Iam tellus avidâ propinquat orâ,
Iam mentem populus fovet ſolutam,
Et ridet maris irritos tumores.
Quem non candidus excutit cachinnus?
Quis non evomit ebriam ſalutem
Et lætus titubat genu precanti?

Secura

Securâ rete, purpurâq;, vini
Quærit fluctibus obrui popellus.

Franciscus Minne Ædis Christi Alumn.

NOn mihi *Pirene*, non officiosa *Thalia*
Conscia: Naturæ est dicere, CAESAR ave.

Ed. Nevill è Coll. Merton.

ANglia (væ miseræ) te discedente dolebat,
At contrà Hesperiæ natio læta nimis.
Nunc dolet Hesperiæ littus, nunc Anglia gaudet:
Regna duo paritèr tristia, læta, facis.

Tho. Baker, è Coll. Wadh. Equitis aurati
filius nat. max.

Chronogramma Anni quo CAROLVS
Princeps rediit in Angliam.

PrInCeps HesperIIs tanDeM est regressVs abortIs,
OptatIs patrIæ terræqVe potItVr arenIs.

Hugo Portman, Baronetti filius,
è Coll. Exon.

MEnse suo reducem genialis Consitor uvæ
Te colit, hinc redolent ebria prela merum.
Te reducem Pallas sibi sperat adesse Patronum,
Nec satis officii prodigia dat quod habet.
Vox est una, venit; nec gaudia nostra moràris,
Adventûs cùm sis nuncius Ipse tui.
Festinat tardè cum *Pallade Bacchus*, anhelus
CAROLVM Hispanas tam citò transiit aquas.

Iam tandem verè cœli pelagíq; potentes
Sospite Te, *Princeps*, credimus esse Deos.
Numina fœlici cùm tot sint prona carinæ,
Est scelus Aonij Numen abesse chori.

Petrus Tryon, Arm. fil. Primog. Ædis Christi Comm.

QVantam sub medio nostri hyemem Cane
Senserunt animi, CAROLE maxime,
Dum tu sepositis in Regionibus
Multos longus agis dies?
Quantam (Dij superi) sensimus in tuo
Fœlici reditu, temperiem veris?
Optarem, ut redeas sic, ego, sæpiùs:
Sed bis non abeas, velim.

H. Dixon, Ioannensis, Generosus.

Ad navem CAROLI *Principis revectricem.*

LIgnum osculandum, fausta junctura arborum,
Quàm te beatam CAROLVS VECTOR facit!
Vellus revexisti aureo magis aureum,
Secura posthac monstra contemnas maris:
Te nulla perdet *Scylla* naufragio inviam,
Qui terror allis vortices, parcent tibi.
Te nulla caries lædet, aut rimex gravis.
Sed cùm senectus latera quassabit tua,
Anathema fias visitandum posteris.
Lignum osculandum, fausta junctura arborum,
Quàm te beatam CAROLVS VECTOR facit!

Henricus Robinsonus, Ioannensis, Generos.

SOlennem tumidum quòd gemmam mittis in æquor
Dux Venetûm, Dominum se probat esse maris:

Rectius

CAROLVS REDUX.

Rectiùs hunc titulum poscas Tu, Magne IACOBE,
Proiecta in pelagus nam tibi gemma redit.

W. Bennet Ioannensis Generos.

PEr mare, per terras, mirantur, CAROLE Princeps,
Qui tutò poteras ire, redire vias.
In promptu ratio est; Regum Rex ipse veredum
Per terras rexit, per mare nauigium.

Io. Savile, ex Aula Mag. Equit. & Baroneti fil. nat. max.

Chronogramma
eI DVX IVIt CoMes.
1 6 2 3.

QVomodò, dic, Princeps habeat Comitemq; Ducemq;,
Quum duo sint tantùm? Dux erat ille Comes.

Ioh. Tyringham Equit. aur. fil. è Coll. Mag.

——Omnia vincit amor——

VNicus excelsos Anglus superauit Iberos,
Et cepit sine Marte; suum intentabat amorem.
Omnia qui vincit; blanda hæc victoria Regem
Germanamq; trahit. Magnus spolia ista triumphus.

Io. Lisle Eq. Aur. fil. nat. max. ex Aul. Magd.

SPem nostram, Tage, te rogat, remittas
Nympharum Thamisis pater: vouetq;
Vt semper rutilâ fruaris vndâ,
Ripis aureus in vtrisq; gazas
Solus Cantaber, Indiasq; seruet,
Anglorum modò mittat vnionem.

M. W. Otialensis.

NOstra voluptatis tantæ narrare poëſis
Symbola danda nequit, vix data (crede) poteſt.
Ordine quiſq; ſuo teſtatur gaudia plauſu,
Te reduce (ô Princeps) ordine quiſq; ſuo eſt:
Dux ego voce *Duci*. vero reducíq; recurſum
Gratulor, hoſpitium dulce precórq; tibi;

℟. *Duke* gener. Coll. Oriall.

CAROLE, cur ἀαὶ te quæritat Anglicus omnis,
Omnia cur loca, Rus, vrbsq; videre petunt?
In promptu cauſa eſt, en cauſam, CAROLVS, ipſum
Demonſtrat nomen, Nempe ἀαὶ χάρις es.

℟. F. Orial.

In feſtinum viſendi Patris deſiderium.

AVlam relictis puppibus petit Princeps,
Quinquagieſq; mille pervolat paſſus,
Citiùs vibrato fulmine; & viam pernix
Continuat uno Sole, dum ſalutati
Bibat labellum Patris. en Britannorum
Vulgare cœlum nauſeans, ſuam ſacro
Non niſi Parentis oſculo trahit vitam!

I. Terrent Æd. Chriſti Alumnus.

IAm *Draci* fileant, laudes: Ille ambijt Orbem;
Edidicitq; ingens vincere Solis iter.
Hiſpanas tantùm quæſivit *Carolus* oras,
Plus fecit Princeps: Hunc Diadema gravet.

In veniam Damnatorum.

Quàm ſimul ad patrias rediiſſet *Carolus* oras,
Inſolito plauſu carcer ubiq; patet.

Nunc

Nunc juvat esse reos: sævo dum fune solutus,
Damnatus fruitur posteritate suâ.
Qualia poscentur pro tali Principe vota?
Vivat quos aliis addidit ipse dies.

In Principem personatum.

Dum, Princeps, hominem fictis te barba capillis
Mentitur, virtus te probat esse senem.
Exue mendaces vultus nunc *Carole*, longâ
Heu nimis ignotus redderis ipse morâ.

In Navem.

Quàm nullo puppis scopulo quassata redivit!
Scilicet huic Rupes præsidet ipsa rati.

Io. Mylles Ædis Christi Alumnus.

NOto ut natantes vidimus mari sylvas,
Pondere superbas *Caroli*; novas Ignis
Ructans figuras, garrulus dehiscebat;
Cœlíque Divis Igneam Viam fecit.
Frustra triumpho nox nigra invidet nostro:
Ignis creare poterat vel Diem tantus.

Tho. Browne, ex Æde Christi Commens.

De morâ CAROLI *Principis in portu St Andero.*

QVarè agis usq; moras, Princeps? nec, Cæsare Maior,
Fortunam opponis fluctibus ipse tuam?
Confidas nauì; converso cardine, totus
Lybs tibi festinans officiosus adest.
Qui nimio zelo montes dum tollit aquarum,
Quàm cupit in plaustro te posuisse tuo?

Geor. Aglionby Ædis Christi Alum. Art. Bacc.

PEr mare, per terras, thalamos dum CAROLVS ambit,
Anglia delicijs est viduata suis:
Auras ah! nullas præter suspiria, traxit,
Te redeunte tamen reddita terra sibi est.
Quò fortuna vocat, nunc ibimus, ibimus vltrò;
Nouit depositum reddere, digna fide.
Victima, te saluo, populus jam flagrat ut vna,
Immolat ad cumulum viscera quisq; sua,
Artibus his populi fitientem accendis amorem,
Non nisi sic poteras charior esse Tuis.
O vtinam aut nunquam egressum te terra videret,
Aut semper posset te redeunte frui.

Id. Iames, ex Aul. Lateport.

ANglia dum dubio curarum fluctuat æstu,
Dumq; suas peragunt spesq; metusq; vices:
Extremo CAROLVM redeuntem vidit ab orbe,
Fixit & antiquum, jam solidata, pedem.
Sic nato tandem requieuit Apolline Delos;
Inq; suo æternum vendicat Orbe locum.

Squalida per mœstum celebrat jejunia mensem,
Tristis in absessu terra Britanna tuo.
Composito tandem gaudentis farre Coloni,
Festa vides redeuns, CAROLE, festa facis.

Proxima quòd crebris sic squaluit imbribus æstas,
Quòdq; obscurârunt nubila spissa Iovem:
Scilicet, Hesperijs latuit Sol abditus undis,
Quem nunc splendentem Sphæra Britanna tenet.

Hugo Evans Civilista, Novi Coll. Socius.

Quæ

QVæ minùs afficiunt præsentia, magna carendo
Noster (te ablato, CAROLE) sensit Amor.
Sensit Amor tecum discrimina, gaudia sensit;
Nostraq; migrârunt corpore corda tuo.
Vt quæ salua refers, teneas sincera, lubentes
Iam tibi libamus pectora, vota Deo.

Arthurus Freke, Armig. Fil. nat. max. è Col. Wadh.

HEsperijs nuper cùm tu peregrinus in oris
Ardebas sponsæ, CAROLE, amore tuæ,
Non tam candenti flagrabat Seirius æstu,
Quàm nostra ardebant pectora amore tui.
Flamma sopita tamen nondum est. Præsentis amore
Vrimur immenso: Seirius alter, amor.

Rod. Blackwall, Art. Bac. ex Aul. D. Edm. Armig. Fil.

Ad Principem.

LÆtitiæ haud mendax speculum esse serenus ocellus
Dicitur; En quàm sis Anglia læta scio.
Nam fit * vterq; oculus jam Te redeûte serenus; *Vtraq; Acad. Oxon. Cantab.*
Lætitiæ reduci certaq; signa dedit.

Ioh. Dennis Generos. Lateport.

SIc exijsti faustus, vt vspiam
Quotquot virorum contigeras gradu,
Accederent, victiq; sese
Sponte suâ tibi subjugarent.
Victi benignè, quos tua comitas
Servos lubentes fecit & hospites.
Sed vincis & diuos triumpho
Iam rediturus amiciori.
Sed gloriatur cæruleus tui
Nereus potentem dicier; hinc tuæ

Contendit, at blandè, carinæ
Præcipitem oppoſuiſſe curſum.
Argo ſecundum credidit Æolus
Tentâſſe feruens per mare tranſitum;
Herôas auertitq; Trojæ
Se timuiſſe nouæ jocatus.
Majora ſed nos numina fleximus,
Patrem precati cœlicolûm; neq;
Deſivimus votis paciſci
Principe pro redeunte ſaluo.
Soluantur ergo: ſoſpes ab exteris
Placas Penates, Magne, Domeſticos.
Nec dicere eſt promptum, dedêrunt
Dij tibi fauſtius hoc tuiſue.

Ioh. Good, Nov. Coll. Soc.

DVm Phæbum occiduum perducit aduſq; Cubile,
CAROLVM in Heſperiâ viderat Alma Venus:
Et dedit in reditum faciles, ventoſq; ſecundos;
In mare (nil mirum) jus habet orta mari.

Ioh. Phillips, Novi Coll. Schol.

Quòd die Solis Angliam introierit.

COncilium ſeptem tenuerunt Aſtra dierum,
Quæ tibi Lux Reditum, CAROLE magne, daret.
Luna petit, dubijs ponti quæ temperet vndis:
Mars, armis cujus tutus ab hoſte fores.
Mercurius; cuſtos ſapientum eſt ille virorum:
Iupiter, in ſuperos ius habet ille Deos.
Cauſa viæ Venus orta mari; dabit illa reuerti:
Saturnus; ſenior ſum Deus, ille refert,
Sol, Deus eſt Lucis, totiq; ſalutifer orbi;
Inde petit Reditum Phæbus, & inde tulit.

Iure

Iure tulit, cessêre Dei; Nam qui venit, alter
Est Phœbus, nostro Sol velut Orbe micans,

Lancelot White, Novi Coll. Scholar.

In Principem è Navi in Templum illicò properantem.

CAROLVS ut vidit miracula torva Profundi,
Templa petit; Fabro narret ut illa suo.
Nauclerum facit esse pium vis sola procellæ;
Incolumi Princeps fundit ab ore preces.

Robertus Ward Ædis Christi Alumnus.

QVem tulit è nostris secretus finibus ignis,
Hunc reducem populi publica flamma colit:
Et tantus calor est, ut nostra Hispana videri
Climata, mutatis æstibus, incipiant.
Nam quocunq; venit, contendunt zelus, & ignis:
Ascendunt ambo, fortiùs ardet amor.

Gu. Tresham ex Æde Christi, Equitis aurati filius.

REgius externo rediens à Sole viator,
Omine fœlici per mare carpit iter;
Lasciuit pelagus, surgunt & ad oscula fluctus,
Et cadit in guttas unda repulsa suas.
Ventum est ad patrium limen, sonat aula triumphos,
Et confusa ruit turba rotante gradu:
In flammam cadit omne nemus, torrensq; per urbes
Ætna fluit, populi fervet, ut ignis, amor.
Sic discordantes concordant ignis, & unda,
Scilicet hæc puppi servit, at ambo tibi.

Guil. Hemmings ex Æde Chr, Alumnus.

In Tempeſtatem oriam.

QVòd rapiunt venti, quòd tollunt æquora Cymbam,
Crebra quòd obſcuris flamma coruſcat aquis:
CAROLE ne timeas; nam Te furit unda recepto,
Raptaq; lætitiam non regit illa ſuam.
Dum certant cuius veheretur flamine Cymba,
Mutua ventorum currit ad arma cohors:
Nubila ſollenni lucent non vindice flammâ,
Et ſimul æthereos pulſa dedêre ſonos.
Et ſibi quòd Noſtris debet ſubſiſtere rebus,
Te voluit ſtellis inſeruiſſe Mare.

Ger. Warneſtrey Ædis Chr. Alumnus.

QVòd ſe privatum, peregrinum fecerit, eſto
Ipſius arbitrio Principis atq; Patris:
Non quæro quæ cauſa moræ, quis fructus eundi,
Viderit hæc itidem CAROLVS atq; Pater.
Nam par arcanis nec ſum, nec jam vaco, rebus,
Hoc unum & ſolùm ſentio, quòd Rediit.

Iohannes Weſton ex Æde Chriſti Art. Bac.

In falſum rumorem de Principis reditu priùs ſparſum.

ET rediit? toties animum vaga fama fefellit,
Vt timeat certam mens adhibere fidem.
Fama fidem nec falſa ferat, nec credere culpa eſt,
Namq; avidè quicquid credimus, hoc fugimus.
Non ſic eludat rumor, videamur ut ipſi
Credentes tardè, Principe nolle frui.

Thomas Ballowe Ædis Chriſti Alumnus

Adhuc

ADhuc ſtupeſcit auris? & fidei mœrum
Superare neſcit gaudiũ? Ipſum audi, vide,
Videndo guſta, tange. quem languens amas
Inoſculare; Principem invenies tuum.
Circumſtrepentes, ecce populorum ſoni
Tormenta ſuperant, miſta conclamat cohors
Pueri, viríq;, virgines, matres, ſenes;
Cumulóq; vocem matris è gremio adijcit
Ignarus infans; quemq; non patitur loqui
Natura, linguam vinculo clauſam tenens,
Geſtu loquaci frontis, oculiq;, & manûs,
Compenſat oris damna; dum linguâ caret,
Fit lingua totus: Ardor animorum foci
Superat triumphos, immolans flammæ preces:
Redeunte nobis CAROLO, redijt ſibi
Britanna ſedes; quiſquis & reditum tuum
Celebrare Princeps geſtit, hic celebrat ſuum.

Martinus Tinly ex Ædc Chriſti.

De ventù reditum Principis oppugnantibus.

DIſtulit in longum communia gaudia ventus,
Vt ventura diu gaudia grata forent.

Henr. Paſtilew Ædis Chriſti Commenſ.

ECce procus virtutis adeſt: quæ Fœmina digna eſt?
Stat tibi pro thalamis Anglia tota tuis.
Sàt dixit, qui dixit Adeſt: nam protinus adſunt
Omnes conuèxà Dijq; Deæq; manu.
Exultans vultu populus præcurrit amico,
Lætitiæq; modum non capit ipſe ſuæ.
Nec ſemel eſt vidiſſe ſatis: loca plurima mutant,
Tranſverſos iterant hìc & vtrinq; ſinus.

Fx-

Fælix qui portę cænoſæ proximus hæret,
Scintillâ vt poſſit prætereunte frui.
Qui ſedet in triuio, mendaci glutine cæcus,
Surgit, & inuitùs te veniente videt:
Afflauit certè ventis diuinior Aura,
Prodigium comites narrat adeſſe Deos.

Iohannes Donne Æd. Chriſti alumnus.

Dùm CAROLVM reuehit, viſa exultàſſe carina,
Crede mihi Dominum ſenſerat illa ſuum.
Quàm vento ſyncera fides! vndæq; ! ratiq; !
Diſcat & his poſthac credere tutus Amor.

Sebaſtianus Smyth Ædis Chriſti Alumnus.

CVr Aries Phœbum radiantem ſuſtulit Anglis?
Viderat æquatum noctibus eſſe diem:
Prætulit Libram Phœbus: non paſſa coruſcos
Hæc Phœbum currus vltrà agitare ſuos.
Reddidit Æquator Phœbum; ſit gratia Libræ,
Quæ ſpes æqua ſimul ponderat, æqua metus.

Io. Dennet Nov. Coll. Scholaris.

VNde tam molles placuêre vultus?
Et lætæ Charites canunt ſub vmbrâ?
Et Muſæ numeris ſuis ſequuntur?
An non veniente te CAROLE?
Ilicet, nymphæ vitreis ab antris
Efferant vdum caput, & per vndas
Implicent certo choreas ſequutæ
Cum pede cantum?
Et conjurati veniant in gaudia cœli?
Agnoſcit dominum flatibus Æolus,
Reducem ſalutat CAROLVM,
Et grandiore murmure.

Omnia

Omnia decessu squallebant vndiq; luctu,
Et populi flêrunt, flêrunt eum marmore nubes.
Iam quóq; plus solito à cœlis cadit agmen aquarum,
Scilicet in pluvias lachrymæ vertuntur Iberæ,
Te redeunte.
Seueriores nunc agunt matres choros,
Mistaq; virginibus juventus.
Collucet ignis splendidus per compita,
Et resonant lætis displosa tonitrua bombis:
Fortunata dies, niveo signanda lapillo!
CAROLE Iô canite, Iô Princeps.
Non obstrepentis horruit minas maris,
Auidumue fatum,
Reseraret vt paci vias.
CAROLE Iô canite, Iô Princeps:
Magnanime heros,
Sic tibi lætitiæ fas sit persoluere grates,
Sicq; Deo, tutus quòd tu trans æquora vectus.

Guil. Axon, Nov. Col. Schol.

DVm queritur nimios *Hispania* tosta Calores,
Arguitur rabidi Sævior ira Canis.
Flammea non cernit geminati lumina *Solis*:
Pallentes præsens CAROLVS vssit agros.

Qui clausit summum Tauri sub imagine numen,
Olim (nunc Vates) ille Poëta fuit.
Fabula fit Fatum, suscepit *Iberia* nostrum,
Inq; *Bovis* fecit *Pelle* latere *Iovem*.

Iberiâ reductis
Iam *Carolus* petebat
Britanniam carinis.
Cõmota cùm per alta
Immurmurat Procella;
Et raucus in frementi
Admugit *Eurus Arcto:*
Cur vindicis tremenda
Cessat Tridentis ira?
At *Principem* prehensum,
Fassumq; iam, tueri
Tridentiger volebat;
Nymphasq;, quas profectus
Fefellerat, vocatas
Spectaculo beabat.
De nave celsus altâ
Cùm *Carolus* refulsit,
Neptunus & vocatæ
Obtorpuêre Nymphæ,
Deforme negligentis
Tritonis hæsit Agmen.
Saltavit & stupendos
Delphin Amator orbes,
Oblitus est moveri
Nereus, & inquieti
Spectando concidêrunt
Noxo sopore Venti:
Stetisset sedè *Classis*,
Fidemq; prodidisset
Tridentiger, supinum
Nisi *Zephyrum* dolosa
Post navium recurvas
Traxisset arte Puppes.
Hic blanda ut intuendi
Subducitur voluptas
Sese recepit; atq;
Memor fuisse *Ventum*.
Suspirat; & *Britannis*,
Classemq; *Carolumque*,
Mox applicavit oris.

Fælicem *Autumnum* retulisti *Hispania* nobis,
Elysium posset qui vacuare Nemus.
Nec tamen *Hesperidum* jactabis *Pomia* sororum;
Charior est Hortis nam *Rosa* nostra tuis.

Tho. Master, Novi Coll. Scholaris.

In quintum diem Octobris, quo Patria redditus est.

AVgusti Lux quinta licet, Lux quinta Novembris,
Rex, tibi seruato litera rubra fuit.
Dum eamen Octobris Natum Lux quinta reduxit,
Plus nunquam patri præstitit illa dies.

Relinquet

CAROLUS REDUX.

Relinquet homo Patrem & Matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ. Epheſ. cap. 5. verſ. 31.

SI Patriam, Patremq; *Præſul* pro conjuge linquis,
Linquere quid ſupereſt, quando *Maritus* eris?

CAROLE, quid noſtras urunt incendia ſylvas,
Et crepat exciſum, Te redeunte, jugum?
Majores alij flammas poſuêre, peruſta
Vnus erat Tellus Bętica tota Rogus.
Has cœli lachrymæ poſſunt extinguere flammas,
Aut ſpargat minimo fortior aura ſono:
Aſpice *flammantes* homines, *Vultuſque* rogales,
Ipſa tibi præbent *Corporis noſtri Pyras*.
Præbent; ſed tanto, Princeps, ſuperantur honore,
Quòd ſpectatorem Te tuus ignis habet.

Guil. Edwards Ædis Chr. Alumnus.

TErreſtre numen ſentit vt pontus gemens,
Fibras aduſq; patitur, & ſulcos graues
Mirantur vndarum trementes incolæ.
Neptunus hoſtem, quiſq; ſuſpectum timet
Sui ruinam, noſtri & imperium Iouis.
At dum Britannum pollicetur Principem
Religio, vultûs, oris, haud aliud, fides,
Eademq; fronti ſanctitas, pacem ſalo
Promittit exemplum patris: gratum ſonat
Lætitia ponti rauca, ſpumoſa, & fremens.
En ſaltat ingens mundus vndarum ſimul,
Et montibus cœlum inuidet Chryſtallinis
Altiſq; ; ſic periculis ludunt Dei
Mortalibus, ludoq; gaudent horrido.
Benè nouit hoc Princeps, timere neſcius
Vndarum hiantes circulos, fluctus vagos,
Sinuumq; gyros; talis amplexus maris:

Et artifex Neptunus hæc, spectacula,
Non arma, fecit, & parata ludicra,
Nugisq; gratulatur his aduentui,
Quasi more solenni, suoq; χαίρειν.
At at! sequatur fortè lusus asperos
Ruina; plebem manca Fortunæ manus
Tractet, Deorum nec regat curam: citò
Fretum fit æquor, campus in medio sali,
Gressuq; recto immota nauis ambulat,
Nymphæ virentes, vndulatis pallijs,
Præeunt choreâ crure gyratâ leui.
Onus fidele reddit æquor portui,
Et Insulæ non dat ratem sed insulam.
Sed non amici Principem jam deserent
Fluctus: at alta lex negauit semitam.
Solvuntur in vaporem, & hinc spirantibus
Ventis, sacro pioq; junctis fœdore,
Ignota quærunt aëris vestigia.
Non possit æquor? saltem erit nubes comes.
Ecce, ecce, tanta vt audit † *Ampla* Civitas, † *Londinum.*
Nouum creatur mane; naturæ micans
Segnem præibat artis auroram dies,
Præluxit immatura lux lucis Deo:
Flammas putâsses Hesperos, terram polum,
Ignes giatrix æmulatur nubium
Cohors, & altâ bile sincerè inuida
Extingueret: pluit: cadunt præcipite vi
Flammisq; pugnant sibilantes guttulæ,
Superare jurant aut perire gaudio.
Sic, sic, IACOBI, sic premit vestigia,
Virtute fortunáq; fælix CAROLVS.

Ant. Faukner, Art. Mag.
& Coll. Ies.

In.

CAROLVS REDVX.

INgenti Britones curarum mole gravabat
Nuntia decessûs, CAROLE, fama tui,
Diêxrunt lachrymis commixto murmure, tellus
Mille pericla illi, mille minantur aquæ:
Nos tamen adventum non desperavimus vnquam,
Perstat amatori lenis & æqua Venus,
Diximus, orta Mari Venus est, benedicet & ergò,
Atq; erit in cursus officiosa tuos.
Nec pelagi dominum voluit, qui temperat æquor,
Luna suum nec aquis Endymiona, mori.
Nec sine consilio te, CAROLE, juro, relictâ
Castiliæ dominâ, transiluisse fretum,
Audax ille animi mercem qui traderet vndis
Tantam, lascivis æquoreisq; deis.

Cur sævit nuper tot tempestatibus aër?
Decessum CAROLI pertimuêre Dei.

Rectoriq; maris sit equus, sacrataq; puppis,
Quâ CAROLVSq;, comes quóq; revectus erat.

Agmine cum CAROLVS nuper veniebat Iberis,
Commoti fluctus & tumuêre freti:
Si non dicebat, vellem dixisset in alto,
Parcite dum propero, surgite dum redeo.

Macte bonis animi, quàm fortunatus in armis,
Siue togam mauis, discimus ex reditu.

Geo. Ley Mag. Art. ex Æde Christi.

Perſonâ juvenis *Leandri* & virginis *Herûs*,
Principis, *Infantis* texitur hiſtoria.

HEllespontiacus quâ diuidit alveus orbem,
Vrbes antiqui conſtituêre duas.
Inſignis ripâ conſtructus *Abydus* ab unâ,
Turrita aduerſo littore *Seſtus* erat.
Nobilitate pares ambæ: *Leander Abydi*,
Seſti virgo *Hero* ſtella coruſca fuit.
Corpora Neptunus diuiſerat altus & vrbes,
Sed corda atq; animos junxerat alma Venus.
Herô Leander, *Leandrum* ardebat & *Hero*;
Vulnera ſic pueri ſenſit uterq; Dei.
Sæpe ſalus ab utroq; reciproca miſſa ſaluti;
Miſſa, remiſſa diu pignora amoris erant.
Tandem ardens juvenis, cur torpeo & otior? inquit.
Cur non ſim affectus nuntius ipſe mei?
Non amo, ſi timeo maris implacabilis iram:
Intus flammam habeo, quę ebibet Oceanum.
Audentes Fortuna juvat, Neptunus amantes,
Eſt Venus orta mari, proteget illa ſuos.
Extemplò conſcendit equum; littuſq; ſalutat,
Seq; maris liquidum conjcit in gremium.
Protinùs occurrunt Neptunus & Æolus; ambo
Servitium præſtant, ambo miniſterium.
Ille pavimentum tulit, Æolus ipſe canebat,
Dum ſaltant Phorci, Nereidumq; chorus.
Talibus ad portum ductus, feſtinat amicam
Viſere: ad amplexus mutuò uterq; venit.
Alter in alterius ſeſe nunc paſcit ocellis;
Iamq; vident, quàm non ſint in amore pares
Aures atq; oculi; quàm forti acríq; Cupido,
Ipſe licèt cæcus, lumine percutiat.
Dimidium Sol Zodiaci tranſegerat orbem,
Quæq; fuit ſeges in ſemine, meſſis erat;
Integra tranſacta eſt æſtas: inuitus amator
Tandem diſceſſum cogitat atq; parat.

Dimiſſus

Dimiſſus lachrymis, donis, reſpexit *Abydum*,
Quò patriæ votum grande, parentis amor
Immenſus reuocabat eum: nauémq; ſubintrans
Denuo Neptuni nititur hoſpitio.
Frendens ille, vt qui vultu non ſemper eodem eſt,
Noctem ad conſilium, ſuppetiáſq; vocat,
Et ſtruit inſidias: Venus interponit, agítq;
Conciliatricem: Concidit ira Dei.
Denuo Neptunus Leandri eſt hoſpes amantis,
Excipit incolumem, reddit & incolumem.

Cur Vulcano ignes, cur non altaria vero
Neptuno ſtruimus, concipimúſq; preces?

Alexander Huiſh, Art.Mag.Col.Wad.Soc.

*piunt Iudæi in *Midraſh Hammechilta*, carmina, ſeu Cantica viatorum in Itinere ſcribi ſolere in Linguâ ſanctâ שירות in fœm. genere, quia ſicut fœminæ pariunt cum dolore, ſic & illa, licet ſæpè ſicut in gaudio & lætitiâ, tamen nonnunquam pariunt dolores & anxietates; ſed carmina ſeu cantica beatorum in patria ſcribuntur שירים in maſculino genere, quia hæc nunquam luctum pariunt, ſed ſemper læta & fœlicia concomitantur illa; & ideò nos ponimus hoc in loco שיר in maſculino genere, quia fœlix Principis reditus, omnia læta & fœlicia promittit. * כורש Sephorad in linguâ ſanctâ, non ſolùm ſignificat Hiſpaniam, ſed etiam Dominium & regnum ſine fine, ut notat *Fabricius* in Epiſt ad *Philippum* 2um Hiſpaniarum Regem. Et ita nos hîc precamur Deum, qui ut ſervavit Principem ſalvum & incolumem in Hiſpaniâ, ita & ſemper eundem conſervet incolumem, donec perducat ad Regnum & Dominium, quod erit ſine fine, quandò in æternum regnabit cum Chriſto, in Regno Cœlorum. אמן אמן

CAROLVS Armenicè, ſignificat *Potentem*, ſed in linguâ ſanctâ eſt קראל quod ſignificat *Invocatorem Domini Dei*.

Tho. Clerke S. T. B. & Coll. Omn. Anim. Soc.

CAROLUS REDUX.

CAROLE, quo ſuperes quibus es cognominis, omnes
Imperij dominos, hoc tibi præſtat iter.
Audijt ille [a] *Audax*, [b] *Sapiens* hic, [c] *Magnus* & alter,
Quæ tulerant illi ſingula, juncta tenes.
Quòd petere Heſperias per tanta pericula terras
Auſus, vt ignotus nec comitatus, eras,
Feciſti è cunctis quod nondum regibus unus,
Sit titulo *Audacis* gratia, ſit q; tuus.
Quòd verò Hiſpanâ te tam prudenter in aulâ
Geſſeris, excelſum dum meditaris opus;
Magnus es & *Sapiens*, neq; enim cum ſimplice plebe,
Gente vel incautâ res tibi, CAROLE, fuit.
Quòd patriam incolumis, pelagi terræq; periclis
Defunctus repetis, vela replente Deo;
Quid ni *Felicis* titulum, quo nemo priorum
Hactenus eminuit, ſit numerare Tuum?
Qui gradus vlterior ſupereſt, eſt *Maximus*, olim
Prodijt Auſtriacâ CAROLVS ille domo.

[a] *Carolus Burg. Dux.*
[b] *Car. 5. Rom. Rex.*
[c] *Car. Magnus.*
Car. 5. Imperator.

I. R. C. O. *& Ac. Oxon. Bibl.*

SOlibus Hybernis, æſtivâ gratior umbrâ,
Sic docto cecinit carmine *Virgilius*.
Hybernos nobis ſoles tu CAROLE reddis,
Æſtiva Hiſpanis umbra beata fuit.
Hiſpanis gratus, toti gratiſſimus orbi,
Æternùm gratus CAROLE vive DEO.
Per ſaltus qui te ſteriles, fluctuſq; tremendos,
Solliciti reducem ſiſtit ad ora Patris;
Lætantemq; videre dedit Patriam, Angligenaſq;
Applauſu immenſo ſoluere vota DEO,

H. B. Mert. G. P. Savilianus.

INclytus Hiſpanas dum CAROLVS adpetit oras,
Sollicita eſt nimiis Anglia Terra modis:

Sup-

Supplicijsq; Deum poscit, votisq; fatigat,
Fundit multiplices anxia turba preces.
Nunc, Tellus fortunet iter successibus! optat,
Nunc etiam, faveat pontus & unda! rogat.
Nunc, properantis equi tutos premat ungula gressus!
Augustam facilis, nunc, agat aura ratim!
Votorumq; caput, liqueat nunc candor Iberus!
Ocyùs & reddant nobile d' positum!
Inclytus Angliacas repetit dum CAROLVS oras,
Exultans nimiis Anglia Terra modis,
Vocem unam ingeminat, SALVE! votum omnibus unum,
PROPRIVS ESTO SVIS CAROLVS ANGLIGENIS.

D. W. prim. Hist. Præl. CAMDENIANVS.

De flammis prævijs.

VT fervorem animi exponant, didicêre Britanni
Ante Diem Flammas condere, postq; Diem.
Sit citus aut tardus Flammarum fulgor; vtrinq;
Soluitur officij tessera: Fervit Amor.

Ad REGEM

De Prælio Navali, ad interventum Principis CAROLI, *dissipato.*

Quos videt armatos Princeps in prælia ferri,
Impedit, & factum est hoc mare *Pacificum*.
Sic malè commotas Neptunus mitigat vndas,
Atq; alcedonij sic micuere Dies.
Pacificum quis non Te (*magne* IACOBE) fatetur
Progenie ditem Pacificâ, CAROLO.

De Itinere Principis inchoato, 1622.
terminato verò anno, 1625.

Chronogr. { DoMVs aVstrIaCa traXIt. 1622.
eXIt aVstrIaCà DoMV. 1623.

CAROLVS REDVX.

Cùm *DoMVs aVstrIaCa attraXIt*, currente Caballo
It CAROLVS, velo & præpete: Iussit *Amor*.
Quandò Pater revocat, sancti memor Ille Parentis
Aduolat, éq; *DoMV* hic *eXIIt aVstrIaCà*.
Qui sic obseruat *Patrem*, atq; obseruat *Amorem*,
Huic *Pater* indulgens, sit quoq; mollis *Amor*.

De Principe ad dextram Regis Hispan. posito.

Præstat dextra fidem: pars dextra assignat honorem:
A Dextris positus nulla sinistra timet.

De Die Reditus, qui erat Dies S. Apollinaris.

O quot delicias, amænitates,
O quot lætitias, beatitates,
Vnus abstulit hic *Apollo* Musis,
Donec deserit hic *Apollo* Musas?
At quot delicias, amænitates,
Et quot lætitias, beatitates,
Vnus reddidit hic *Apollo* Musis
Factus quando *Redux Apollo* Musis?
Quo nos (CAROLE) Tu Redux reuisis,
Et nobis animos nouos ministras,
Viua pectora, spiritusq; præstas,
Ille sit niueo Dies Lapillo
Signandus, sacer & sacræ Cohorti,
Dicendusq; Dies *Apollinaris*.

De Horâ, & Die Adventûs.

Dic quæ mæstitiam, quæ nubes dissipet Anglas
Hora, Dies, vel Lux; Nox quibus vna fuit.
Hora Precum; Dominiq; Dies; inimicaq; nocti,
Certa sed in CAROLO, *Lux* tua, summe Deus.

Credidit Hispanis CAROLVM Gens Angla: remittunt
Hispani; celebre est hoc *Opus*, illa *Fides*.

Autumnus

Ant mannus non eſt quem credimus; Ecce vireſcit
Muſarum campus, viuit & in *Folio*.

M. L. *M. A.*

PRincipibus picta mos eſt ambire Tabellâ,
Atq; Vmbris lentus ludificatur Amor.
At tu, præſentes dum CAROLE, concipis ignes,
Abijcis, & melior Zeuxis es ipſe Tibi.
Hoc quoq; Patris habes. Sic Dania læta *Iacobum*
Vidit, perq; vndas concomitatus Hymen.

Tum penitus toto diuiſa Britannia mundo,
Abfueras cùm tu CAROLE, viſa ſibi eſt.
Nam neq; ver ſenſit, lætæ neq; tempora meſſis,
Nec juvit miſerum Lumen & Aura genus.
Turbauit Tamiſis triſtes argenteus vndas,
Eius dum tumidus fulget Honore Tagus.
Luxêrunt tacito Phœbei funere Cygni,
Et fregit querulam frigida muſa Lyram.
Semper & ad ſacras deuouimus Æolon aras,
Quòd miſerè damna in noſtra benignus erat.
Phœbus adeſt, rediitq; Dies, minimâq; Britannos
Contentos tandem Nocte, videre licet.

GVIL. OLDIS *Procurat. Iun. & N. C. Socius.*

Crimen læſæ Maieſtatis ab Angliâ intentatum diluit Neptunus.

QVid Neptune fremunt vndæ, ventiq; rebelles?
Littora quid circum murmura rauca ſtrepunt?
Navigat en CAROLVS, nempe ille Britannicus ingens,
Et patriam repetens puppibus æquor [illegible].
Orbis amor, Gentis Spes prima, ſecunda parentis
Commiſſa eſt fidei non bene Vita tuæ.

Nunc Zephyros, nunc Halcyones tranquilla parares
Tempora, nunc canerent Numina læta maris.
Te meritò involuit Majestas læsa, ligâsset
Compedibusq; ausum talia Persa suis.
Cui vada, cui fluvij, cui cessit & extera tellus,
Te solum Domino cedere nolle tuo?
Anglia sic: madidumq; pater caput exserit vndis:
Chara, quid intentas crimina falsa, Soror?
Certè ego nec volui, (vel fac voluisse) nec ausus:
Sed creat has Nerei blanda propago moras.
Nympharum est gavisa cohors, formosa videre
Principis ora, oculis non ita visa suis.
Hinc precibus, lacrymis, spernentem & talia, ventis
Detinuit Dominum turba proterua suum.
Fœmina fœmineis parcas: vel si modò crimen,
(Sunt in amore moræ,) crimen amoris erat.
Felices Dryades, felicia numina, Fauni
Hortantem adspiciant per juga sæpè canes?
Nos miseri intereà ad fluctus damnamur, & Altum,
Vt semel haud liceat vultibus hisce frui?
Quid Mensem objectas nobis, tibi secula sumis
Invida? Communis non vtriusq; fuit?
Post breve jam spatium saluum dimisimus, utq;
Tu saluum teneas secula plura, precor

Io. Smith *Procurat. Sen. Coll. Magd. Socius.*

IN longum tenebræ valeant, sis (Carole) fœlix,
Et lustra patrias stella benigna domos.
Quis non æternam lucem promiserit Anglis?
Phœbus ab occasu, te redeunte, venit.

Νοςήσαντι φίλῳ Ἰδακῶν ἡγήτορι χαῖρεν,
Λαερτὴς τέκνῳ πόχεε ἀμφὶ βαλών·
Αὐτὰρ ἔπειθ' ἡμῖν κοσμήτωρ ἔξοχος ἦλθεν,
Λειψάμενος βλοσυρὸς ὠκεανοῖο ῥοὺς

Σκεπ-

CAROLVS REDVX.

Σκηπτοῦχος Καρολεὺς ἀ Ἡρώων ἀλυτὸς ὅμιλος,
Μεσάωντο χόρος γήθεται, ὅλε Σοῶν.

Io. Wall. Incept. in Theol. ex Æde Chr.

PLaudite; jam redijt redivivus ab æquore Phœbus,
Qui splendore fugat tempora mœsta suo.
Anglia mœsta manet, radios dum nube recondit,
Et lacrymis salsis lumina quæq; madent.
Hinc etiam Celebris jacet obscurata tenebris,
Hoc redeunte, dies splendida tota nitet.
Luctus eat madidus; pia cantica, vota, triumphi,
Fasces, atq; faces, jam celebrate diem.
Quæ nuper tristes, modulis lætentur, Athenæ,
Phœbus adest, Princeps; edite dulce melos.

Rich. Parker *S. Th. D. & Aulæ Albanæ Princip.*

ERgo agite (ô Musæ) lætæ discurrite syluis,
Linquite jam claustra, atq; ingrata silentia linguæ,
Sit tacuisse nefas, cùm vester Apollo reversus
Mente novâ, linguisq; novis, & numine perflat.
Quid facitis? quare sic murmura funditis? O, si
Iam redeat Princeps, redeat spes, gloria regni.
En rediit, reducemq, licèt nox atra morata est,
Manè redit, secum lucem, secum astra reportat,
Et juvat ignavum cursu prævertere Solem.
Fallor? an & regio hæc superavit lumine cœlum?
Lumina luminibus junguntur, & ignibus ignes,
Cum facibus tædæ miscentur, ita omnia lucent,
Vt vetus assumat cognomen, & *Albion* esset,
Nec mirum, cùm tantus amor, tantusq; medullis
Ardor inest populi, reducem te visere *Phœbum*,
Si tædis, si fortè pyris, siq; igne remonstret,
Non tamen ista satis, queis vulgus gaudia prodit
Bellua multorum capitum, potare salutem,

Ponere ligna focis, votivam cædere capram,
Vt quasi sint ventris potiùs, quàm gaudia mentis.
Quæ subitò ut fiunt, subitò sic gaudia cessant.
Nos aliter reditum celebramus (Maxime *Princeps*)
Ecce aliter certant sua gaudia pandere Musæ,
Et licet illa, quibus vulgus deprompsit Amorem,
Omnia solenni transegerat antea pompâ,
Ecce novum condit (*Princeps*) Academia Festum,
Ecce novas pompas, nova gaudia, vota, precesq;,
Omnia sic nova sunt, ut tu jam (Maxime Princeps)
Solum argumentum, solum thema, solus in omni
Colloquio, & lusu, cunctis sis ἀλφὰ libellis.
O quos complexus, & gaudia quanta tulisti,
Reddidit incolumem cùm te bona fama Britannis,
Fama, bonum velox, reditûs præsaga beati;
Cùm tua vix oris solvisset Navis Iberis.
Atq; ut cepisti, sic pergas, optima fama,
CAROLI ad Hispanos, ultra Garamantas & Indos
Nomen, facta, vehas, CAROLVM non ampliùs ipsum,
Depositum hoc propriâ terrâ servato, nec unquam
Discessum CAROLI portes mala fama Britannis.

Tho. Iles *Aulæ Cervinæ Principalis.*

PHœbus ab Hesperiis solito fulgore resurgens
Insolito cursu, dubio molimine, mundum
Reddidit attonitum, vultu radiante tenebras
Discutiens, oculisq; beans vitalibus orbem.
Non tua grata magis credo natalia, Princeps,
Quàm nobis reditus: te iam redeunte revixit
Spes & certa salus, quæ discedente jacebat.
O si nuda simul populi tibi corda paterent,
Quàm vivos motus, & gaudia vera medullis
Internis, penitus penitusq; infixa videres?
Quàm voces superat votũ? quàm fervidus ignes
Affectus? Campanarum crepitacula laudes?

G. H. *S.T.D. è Coll. Exon.*

CAROLVS REDVX.

CAROLE, Magnanimi dulciſſima cura Parentis,
Deliciæ mundi, Borealis gloria gentis,
Lux patriæ, regni lumen columenq; Britanni,
Quid Tibi cum pelago? quid Te tot volvere caſus,
Spem populi vitamq; tui, tot adire labores
Impulit, & fragili vitam mandare carinæ?
An Tua quòd parvis arctari neſcia virtus
Finibus, ac animus patulæ ſitientior auræ,
Heſperios penetrare ſinus, penituſq; repoſtas
Herculeas oculis voluit luſtrare Columnas?
An quòd in exemplar ſapiens Tibi ceſſit Vlyſſes,
Qui mores hominum multorum vidit & orbes?
An quòd ab Heſperijs Tibi Gemma refulſerat oris,
Gemma potens ad ſe trahere atq; inflectere ſenſus?
Quicquid erat (nec enim nimis altè inquirere noſtrum eſt)
Quicquid erat; certè Tua nos præſentia lætos
Efficit, ac tantò maiora in gaudia ſolvit,
Quò magis antè fuit dubio mens preſſa timore.
Ne Tibi quid pelagi fluctus, terræve nocerent,
Sollicitos faciebat amor, res plena timoris.
Principis at poſtquàm reducis datur ora tueri,
Et longo Herôas redeuntes ordine ſalvos:
Qui timidos faciebat, amor nunc blanda miniſtrat
Gaudia, quæ verſus Muſis & Apolline plenos
Suppeditant, grateſq; Deo perſolvere cogunt.

I.P. *S.T.D. Coll. Bal. Magiſtr.*

Magna Britannia Principem Reducem alloquitur.

VT ſolet eſſe ſuo coniux abſente marito
Triſtis, & uxoriat nunc amor, inde timor.
Quærit, & uſq; rogat, queritur, lachrymaſq; querelis
Miſcet, & hinc gelidus permeat oſſa tremor.

At

At simul audivit reducem; detersa capillo
Lumina læta sui tollit ad ora viri.
Et sic alloquitur; mi vir, quæ causa morandi?
Tamq; diu cedò cur mihi lentus abes?
Sic ego tot menses, annos quin dico, relicta
Consedi, irriguas imbre rigante genas.
At postquàm accepi elapsum tesluctibus atris,
Atq; ad me salvum Te rediisse Tuam:
Vox populi his oculis noctem mihi dispulit omnem,
Et fronti induxit clarior aura diem.
CAROLE salvus ades, longùm post terga relictis
Gadibus; æternùm, CAROLE, salvus ades.
CAROLE, da veniam, quæso, mitissime Princeps,
Si rogitem tantæ quæ tibi causa moræ.
Detinuit Neptunus iners, aut invida Tellus?
Difficilemq; dedit Terra vel Vnda viam?
Tempora si numeres, bene quæ numerantur amanti,
Non venit ante suam nostra querela diem.
Sic licèt abfueris, tua sim, tua dicar oportet:
Sum tua, Tuq; meus, CAROLE, semper eris.
Hic Audax amor est, non est audacia; pro te
Anxia si fuerim, proq; salute tua.
Seu ducas, seu non ducas: tua *Terra Britannia* est
Sponsa tibi: æternùm sponsa futura tuis.

Io. Harmar. *Coll. Magd. Art. Mag.*

TErra profecturo eligitur; cur vnda reverso?
Vt Doceas vni subditam vtramq; tibi.

Et male-grata suos affert Absentia fructus,
Antè Habuit CAROLVM Patria, nunc Fruitur.
Tanti nempe fuit *Reditus* solamen, Emiq;
Debuerant aliquo gaudia tanta malo.

Sam. Gardner, LL. Bac. Nov. Coll. Soc.

QVò, nimis audacis; cur vadis, quæstio vani:
Quærere secretum Principis esto nefas.
(Anglia) quem tanto cupiebas murmure, præstò est,
Erumpunt igitur gaudia tecta diù.
Hæc sunt præteriti præsentia signa doloris:
Tantas sic emerem (CAROLE) delicias.
Quàm nihil est sine te, gemitu fuit Anglia testis,
Idem testantur gaudia post reditum.

Nemo mari tribuat, meruit benè nomen *Amarum*;
Dulce decus rapuit terra, quod vnda dedit.

Ioh. Stubbing, in Art. Mag. ex Æde Chr.

MAxime *Cambrorum*, quis te modò, CAROLE, Princeps,
Edocuit Numen dissimulare tuum?
Decepto proprias migrabas Ciue per vrbes;
Plebeiæ vestes, & tibi nomen erat.
Oh! quid speremus de tali Principe, qui sic
Plebem dilexit, plebis vt esse velit?

Augusti, IACOBE, tuam lux *quinta* salutem;
Sulphureasq; faces *quinta* Novembris habet;
Octobris saluum te, CAROLE, *quinta* videbat,
Anglia, quàm fœlix est tibi *quinta* dies?

Ioh. Smith, Art. Mag. ex Æde Chr.

Ad CAROLVM *de reditu, & extructis Regis.*

TE discessuro fudit Februarius imbres;
Excipit exhaustâ lætior ignis aquâ.

Quòd redijt Die Dominicâ.

Quâ redijt, requiem poscit Lux inclyta: quid ni?
Effecit populi corda quieta sui.

Io. Dod, Art. Mag. & Col. Ex. Soc.

SI quis me juberet sapere, erat cui imperet; ego hodiernum CAROLO nuncupatum diem. Nec melius in tanto Iubilo absolvimus Musas, si alliqua desit Ars, quàm siqua sit. Et modum & artem vere nesciunt Gaudia; ac plena omnes & modos & Artes (præsertim verò Musicam) requirunt. Caveat quisquam mihi morem objiciat: nihil magis insolens in reditu Principis, quàm nihil præter solitum. Quantùm Ipse & morem & solitum aliorum Principum supergressus sit, quàm felicitèr ad suos redierit, audire inviti desistis. quid prohibet jam quin illius nostrâ fælicitate canamus, exulternus, jubilemus.

Canticum Gratulatorium in Scholâ Musicæ Symphoniacè habitum.

Reluxit Iò CAROLVS
Desideratus omnibus,
Terrâ salvus ab Hispanâ,
Salvus & à Gallicanâ,
Et ab Aquis & ab igni
Solis nimiùm benigni.
Ah quot suspiriis fœta,
Quibus animis repleta,
Tua vela tredis istic,
Tecq; nobis reddidisse?
Bombardas ferire polum,
Astra parturire solum,
Nostro par hoc est ardori,
Nostro parùm est amori
Desideratus omnibus
Reluxit Iò CAROLVS.

TH. PHILPOT, *Art. Mag. Prælector Musices, Coll. Nov. Soc.*

FINIS.

Epilogus Typographorum ad Principem.

FINIS erat; nec *finis* erit mihi meta laboris,
Ante Charactheres quàm mea vota ferant.
Hauserunt Prælum variato carmine *Vates*,
Typographo ut sit Vox una superstes, *Amen.*

OMnes quod Musæ, vovet omne Typographus illud,
Et superet nullum te Chronogramma precor.
Hei mihi, quòd venit *Finis*, vox ultima Libri:
Dum Princeps rediit, me juvat ipse Labor.
Nec *Claudus* mihi *Pes*, nec *Pes* in carmine *Fossus*;
Vult requiem *Socius*, nomine qui BREVIS est.

IOHANNES LICHFIELD, & IACOBVS SHORT, Acad. Oxonienſis Τυπογραφοι.